MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80497-3

AUTHOR:

SIEWERT, PAUL

TITLE:

PLAUTUS IN AMPHITRUONE FABULA...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1894

Master Negative #

92-80497-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG92-B10477          Acquisitions     NYCG-PI
FIN ID NYCG92-B10477 - Record 1 of 1 - Record updated today
+
 ID:NYCG92-B10477            RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:02-13-92
 CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:         UD:02-13-92
 CP:qw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
 PC:s      PD:1894/           REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
 MMD:      OR:    POL:    DM:     RR:         COL:      EML:       GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Siewert, Paul.
 245 10   Plautus in Amphitruone fabula quomodo exemplar graecum transtulerit‡h[
        microform].‡bDissertatio inauguralis philologica...‡cPublice defendet au
        ctor Paulus Siewert.
 260        Berolini,‡bTypis Leonhardi Simion,‡c1894.
 300        85 p.
 LDG        ORIG
 QD         02-13-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3/12/92 INITIALS TM

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PLAUTUS
IN AMPHITRUONE FABULA
QUOMODO EXEMPLAR GRAECUM TRANSTULERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. IULII MDCCCLXXXXIV

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS SIEWERT
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:
M. Gross, stud. phil.
M. Mueller, stud. phil.
L. Szamatolski, stud. phil.

BEROLINI, 1894.
TYPIS LEONHARDI SIMION.

JOANNI VAHLENO

SACRUM.

Perlustranti mihi quae viri docti adhuc de Plauto eiusque fabulis scripserunt, unus campus paene omni cultu videtur vacare. Nam perpauci accuratius perspicere conati sunt, quaenam ratio Plauto cum iis comicis Graecis intercederet, quorum fabulas ut imitaretur, sibi proposuerat. Et in hanc sane quaestionem ne plurimum operae consumant, multi deterreri possunt, cum nihil esse difficilius videatur, quam e pauculis comicorum Graecorum fragmentis conicere, quomodo Plautus exemplaria Graeca secutus sit. Itaque iis qui tamen huic quaestioni operam dant, summa cautio adhibenda est. Quod ii videntur neglexisse, qui poetam ex exemplis Atticis perpauca sumpsisse dixerunt; quam sententiam praeter Rostium,[1]) G. Koepkium,[2]) Guil. A. Beckerum[3]) imprimis G. A. Schroederus[4]) defendit professus „Sarsinatem non passum esse in comoediis

[1]) Opuscul. 1, 1 sqq.: „de Plauti auctoritate ad faciendam rerum antiquarum fidem."

[2]) Zeitschr. f. Altertumswiss. 1835 N. 153 sqq.

[3]) „De comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestiones" Lips. 1837 et: „vindiciae comoediae Romanae" ibid. 1837.

[4]) „De Romanis moribus palliatae fabulae" dissert. tertia progr. schol. Marienwerd. 1853.

quidquam praeter personarum descriptiones sibi a Graecis obtrudi". Sed iam Ladewigius[1]) viderat comicum etiam in lingua vestigia Graeca pressisse. Ritschelius ipse bis[2]) hanc rem leviter tetigit: ac Plautum fabulas Graecas vertentem nimis accurate exemplaria secutum esse negavit. Similiter eandem rem Fridericus Schultzius,[3]) Simo Visseringius,[4]) de Bagnato[5]) tractaverunt.

Contrariae opinionis patrocinium susceperunt duo discipuli Ad. Kiesslingii, qui ipse similiter antea iudicaverat,[6]) Maximil. Schusterus[7]) et Fridericus Ostermeyerus,[8]) putantes poetam paene omnia nulla ratione habita, possentne haec a spectatoribus Romanis intellegi necne, ex fabulis Graecis deprompsisse. Eandem ad rem pertinentia praeterea annotaverunt F. V. Fritzschius,[9]) G. Goetzius,[10]) Frid. Leo,[11]) U. de Wilamovitzius,[12]) Fridericus Hueff-

[1]) „Über den Kanon des Volcacius Sedigitus" Neostrelitz. 1842.

[2]) „Parerga Plautina" p. 145 adnot. et p. 277 sq.

[3]) „Plautus in seinem Verhältnis zur mittleren und neueren Komödie" Festprogr. d. kath. Gymnas. zu Neustadt in Westpreufsen 1866.

[4]) „Quaestiones Plautinae" pars I et II Amstelod. 1842.

[5]) „Plautus u. d. Verhältnis zu s. griech. Originalen" progr. schol. Ehing. (Tubing.) 1878.

[6]) „Analecta Plautina" I Gryphisw. 1878 et II ibid. 1881 pag. 9.

[7]) „Quomodo Plautus Attica exemplaria transtulerit" diss. inaug. Gryphisw. 1884.

[8]) „De historia fabulari in comoediis Plautinis" diss. inaug. Gryphisw. 1884.

[9]) „De Graecis fontibus Plauti" I Rostock. 1845.

[10]) „Observationes criticae" prooem. aestiv. Jen. 1883 p. VI sq.

[11]) „Lectiones Plautinae" Herm. 18, 558 sqq.

[12]) Ind. scholar. Gotting. hib. sem. 1893/94.

nerus;[1]) etiam Brixius et Lorenzius in nonnullarum fabularum Plautinarum editionibus suis de hac re locuti sunt. G. Boisserii[2]) denique libellum et F. Grohii[3]) commentationem quod inspicere non potui, doleo.

At mihi quidem Schusterus et Ostermeyerus quamquam multo rectius quam Schroederus iique qui cum eo faciunt, in universum de hac re videntur iudicavisse, tamen non prorsus persuaserunt poetam fabulas diligentissime in sermonem patrium convertisse, etsi cum omnia argumenta ex exemplis Atticis petita tum interdum nonnulla translata esse libenter concedo, quae spectatores Romani statim perspicere non possent.

Ac quae Cicero de Ennii, Pacuvii, Accii ratione vertendi dixit affirmans in Academicis (I, 3, 10) illos exempla Graeca imitantes non verba, sed sententiarum vim reddidisse, eadem in Plautum videntur cadere. Neque enim eum nimis anxie vestigia Graeca pressisse, vel eo cognoscitur, quod orationem liberius ac summo artificio composuit (cf. Lorenzius Mostell. praef. pg. 26 sqq.). Atque illam artem egregiam admirabitur quicumque quamvis neglegenter cursimque quamlibet fabulam perlegerit: namque intelleget eum comoedias cum multis aliis sermonis proprietatibus exornasse tum facetiis scurrilibus ac plurimis

[1]) „De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae" diss. inaug. Gotting. 1894.

[2]) „Quomodo Graecos poetas Plautus transtulerit" Paris. 1857.

[3]) „Quomodo Plautus in comoediis componendis poetas Graecos secutus sit." Listy filologicke 1892 pgg. 161—172.

agnominationibus et vocabulis ab ipso audacissime fictis implevisse.

Huc accedit quod partim nonnulla quae cum popularium indole parum consonare viderentur, in vertendo mutavit aut prorsus omisit (cf. Ussingius Trin. commentar. p. 561 sq.), partim multa, quibus Romanorum animi valde delectarentur, ad eorum ingenia et voluntates accommodata de suo addidit. Sed haec quae de comoediarum Plautinarum natura in universum elocutus sum, satis sint; nunc quomodo comicus singulis in fabulis exempla Graeca transtulerit, singulas deinceps excutiens edocere conabor. Atque incipiam ab Amphitruone, quae fabula a ceteris tota ratione longe discrepat: etenim agitur de Alcumena stuprata ab Jove Amphitruonis Thebani forma induto. Plautum autem cum numquam alias quantum scimus comoediarum argumenta e Graecorum historia fabulari petiisset, plerique viri docti fabulam comoediae novae imitatum esse negabant: atque alii alium poetam Graecum eum secutum esse arbitrabantur. Sed hos omnes errasse Vahlenus (Mus. Rhen. 16, 472 sqq.) docuit: nam nullam iustam causam esse, qua Amphitruonem quoque ex comoediae novae fabula depromptam esse putare vetaremur. Sane ne novae quidem comoediae poetae argumenta ad rem fabularem spectantia aspernati sunt (cf. Meinek. histor. crit. comicor. Graecor. p. 439); eaque maxime Diphilus videtur adamasse. Vahleni opinionem aliis quibusdam causis non levidensibus nuperrime fulsit Frid. Hueffnerus (l. s. s. p. 71).

Ut vero ad ea quae in hac commentatione mihi

dicenda sunt, veniam, noli putare me de prologo verboso et copioso, quem poeta fabulae praemisit, locuturum esse: nam de illo quoque me disputare haec res vetat, quod valde dubium est, quasnam prologi partes, quem totum Plautum non finxisse constat, ille excogitaverit, quas retractator nescio quis postea assuerit.

Restat igitur fabula sola, quae quasi silvam rerum ad hanc quaestionem disceptandam idonearum praebet. Quae omnia quae ex fabula colliguntur, ita mihi esse videntur distribuenda, ut in capite primo de Plauti animo sollerti et ingenioso in Amphitruone transferenda disseram, in secundo, quomodo origo Graeca probabili aliqua ratione erui possit, exponam, in tertio de vestigiis originis Graecae certis disputem.

Atque in capite primo proficiscar ex iis versibus enumerandis et explicandis, quibus illa egregia ars orationem liberius conformandi maxime elucet, tum de iis verba faciam, qui aut toti aut ex aliqua saltem parte ad res vere Romanas pertinent, ut originis Romanae colore quodam fucati videantur. In capite altero et de iis locis loquar, quibus locutiones vocesque quaedam commemorantur, quae cum Graecorum similibus conferri possunt, et de iis, ubi tales mores institutaque afferuntur, qualibus et Romani et Graeci pariter usi sunt. In tertio denique eos versus tractabó, quibus quae narrantur, tantummodo ad res vere Graecas referenda esse pro certo affirmari potest.

Caput I.

De Plauti animo sollerti et ingenioso in Amphitruone transferenda.

In Amphitruone vertenda qua sollertia poeta fuerit, ut adumbrem, illam artem praecipuam orationem liberius componendi breviter primo loco illustrabo.

Ac primum quidem eos versus enumerabo, ubi et sermonis et versuum structurae proprietates quaedam occurrunt:

1. Figura etymologica legitur: v. 253:[1]) „est pugnata pugna";[2]) v. 947: „vota vovi"; afferam etiam v. 417: „memoriter memorare".[3])

2. Saepius iuxta posita sunt partim eadem vocabula partim inter se significatione similia, quae ex eadem radice derivata sunt:[4])

v. 188: „victores victis";
v. 247: „iure iniustas";
v. 272: „noctu Nocturnum";
v. 278: „*Optumo optume optumam* operam *das, datam* pulcre locas";
v. 318 = 342: „os exossare";

[1]) Equidem Amphitruonis versus G. Goetzii et F. Schoellii editionem recentem: „T. Macci Plauti comoediae" Fascic. I Lips. 1893 secutus affero.

[2]) cf. Pseud. 524. Lucil. fr. incogn. 147 Muell.

[3]) Similiter: „memoriter meminisse" Capt. 250. Poen. 562.

[4]) cf. Lorenzius Pseudoli praef. p. 40.

v. 345: „dicas dicere" = v. 815: „propter dicta dicantur";[1])
v. 359: „familiai familiarem";
v. 413: „rex regnavit" = v. 831: „regis regnum";
v. 421: „obsignata signo";
v. 446: similist similius[2]) = v. 704: „insana insaniorem"; = v. 907: „stultior stultissimo";
v. 524: „primo prima";
v. 557: „scelestam scelus";
v. 605: „mali mala";
v. 703: „Bacchae bacchanti";
v. 722: „omen ominator";
v. 772: „mira miror";
v. 786: „pateram patera";
v. 813: „falsa falso";[3])
v. 821: „captas capere";
v. 833: „corpus corpore";
v. 884: „facta infecta";
v. 994: „volupest voluptas":

aut in eodem versu nonnullis verbis interpositis leguntur:

[1]) cf. Pseud. 108. 372. Cas. 139. Men. 577. (ed. Vahl.) Cist. 500 (ed. Ussing.).

[2]) Similiter eiusdem verbi positivus cum comparativo coniunctus est:
Capt. 644: „certo certius";
Most. 279: „docta doctius";
Poen. 991: „Poenus Poenior";
Sti. 739: „hilaros hilariores";
Curc. 551: „stultior stulto";
Truc. 371 Asin. 614: „melle dulci dulcius";
Afran. 250: „cariosa cariosior";
De Catullo pariter orationem conformante cf. Riesius ad 28, 4.

[3]) cf. Bacch. 541: „reperiuntur falsi falsimoniis".

v. 156: „e *promptaria* cella *depromar;*“
v. 694: „te ut *deludam* contra, *lusorem* meum“;
v. 998: „*spectatores* vobis <*in*>*spectantibus*“.

3. Non raro in eodem versu vocabula tantummodo litteris quibusdam, non significatione inter se similia scripta sunt:

v. 172: „Aequom esse *putat,* non *reputat* laboris quid siet“;
v. 232: „*ferro ferit*“;
v. 315: „ferire *malam male*[1]) discit manus“;
v. 709: „*superat superbia*“.

4. Iis quoque versibus fabula abundat, in quibus complura vocabula ab eadem littera incipientia insunt.

v. 462: „*capite calvos capiam*“;
v. 1030: „*faciam ferventem*[2]) *flagris*“;
v. 782: „*multo mulier maxumast*“;
v. 278: „*optumo optume optumam operam*“;
v. 312: „*pondus pugno. Perii, pugnos ponderat*“;
v. 1042: „ad *regem recta* me ducam“;
v. 335: „*timeo totus torpeo;*[3])
v. 180: „sum *vero verna verbero*“;[4])
v. 284: „Ain vero, verbero?“
v. 344: „Aio enim *vero. Verbero*“;

---

[1]) Quem versum merito Hasperus et Niemeyerus tuentur. Similiter: „mala“ cum adverbio: „male“ copulatum est Cas. 826: „malae male monstrant“.

[2]) cf. Mil. 204: „fervit femur“.

[3]) cf. Truc. 824: „timore torpeo“.

[4]) cf. Merc. 567: „itane vero vervex?“

v. 180 Ritschelius „vere“ pro „verna“ scripsit: voces traditas defendit Niemeyerus (Deutsche Litteraturzeitg. IV. No. 18

v. 1033: „*verna, verba* funditas“;
v. 210: „summa *vi virisque*“;
v. 237: „*vicimus vi* feroces“;
v. 591: „*vi verum vincitur*“;
v. 647: „*victor vir* belli clueat“.

5. Nonnullis versibus vocabula quaedam et voces a praepositione quadam incipientes ita iuxta positae sunt, ut prima syllaba eadem sit:

v. 339: „*con*tra *con*loqui“;
v. 1094: „*con*tinuo *con*tonat“;[1])
v. 1044: *per*vorse *per*turbavit;
fr. 10, 2: „*im*pudicitia *im*pedivit“.

6. Etiam asyndetis bimembribus (cf. Lachmann. Lucret. p. 218) quae Romani omnibus temporibus adamarunt, haec fabula ornata est:

v. 414: „Vi pugnando“;
v. 651: „tutantur, servantur“;
v. 898: „stupri, dedecoris“;
v. 923: oro obsecro“[2]);
v. 1132: „hariolos, haruspices“.

---

p. 627), qui attulit Cic. Verr. I, 9: „servos artifex“ putans Mercurium vocem: „verna“ (v. 179) usurpasse quasi Sosiae orationem (v. 180) praesentientem. At equidem verba tradita aliter explicari velim v. 180 inter voces: „verna“ et „verbero“ comma ponens:

„Sum vero verna, verbero“: et vertam: „ich bin fürwahr ein frecher Schwätzer und Thunichtgut“; nam adhuc de servorum condicione dicta vernilia funditavi neque de officio meo cogitavi deis gratias agendi.“ Asyndeton bimembre, cuius nonnulla exempla extemplo afferam, vere Plautinum est. „Verna“ hic eodem sensu quo v. 1033 ponitur; v. 179 significat: „Haussklave“.

[1]) cf. Bacch. 374: „*con*tinuo *con*tuli“.

[2]) cf. Cas. 321. Rud. 882. Poen. 1387.

7. Deinceps verborum collocationem quandam commemorabo, qua Romani uti solebant ponentes nomen proprium inter pronomen aliquod et ordinem aut cognationis gradum:

v. 1077: „tua Bromia ancilla“.

Cuius rei cetera exempla Plautina collegerunt Ussingius (Amph. comment. p. 339) et Brixius (ad Capt. IV, 2, 95), Ciceroniana attulit Madvigius (opuscul. I. 170). Cf. etiam Ter. Eunuch. 228: „parasitus Gnatho militis“.

8. Postremo versuum structuram artificiosam ut breviter tangam, saepius aut duo versus aut eiusdem versus partes singulae inter se ita respondent, ut eadem vel similia vocabula primo versu aut prima versus parte eodem loco aut eodem ordine quo altero versu aut altera versus parte collocata sint:

a) v. 537: Alc.: „Ecastor *condignum donum, qualest qui donum dedit*“.
v. 538: Merc.: Immo sic *condignum donum, qualest quoi dono datu<m>st*“.

b) v. 199: nam quom *pugnabant maxume,* ego tum *fugiebam maxume*“.
v. 758: Amph.: *tun me* heri advenisse *dicis?*“
Alc.: „*Tun te* abisse hodie hinc *negas?*“
v. 785: „*Tu <alium> peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam*“.

Etiam v. 1062:
„strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subito ut propere, ut valide tonuit“.
mirum in modum exstructus est. Nam ex quattuor verbis quae ineunte versu leguntur, bina simillime sonant: „strepitus, crepitus“ et „sonitus, tonitrus“; et in posteriore versus parte illud „ut“ ter cum certa vi positum est.

Nec vero minus affabre artificioseque nec minus libere Plautus ipse plerisque eorum locorum orationem conformavit, quibus uni vocabulo duplex vis tribuitur aut quolibet modo in nominibus propriis vel vocabulis aliis luditur. Cuius rei exemplum luculentissimum legitur vs. 304 sqq.

Quoniam Mercurius ut Sosiae, servo timidissimo, summum metum iniceret, simulavit se iam quattuor homines mulcavisse, quamdiu animo defecti essent, ille vehementissime territus exclamat (vs. 304 sqq.):

„Formido male,
Ne ego hic nomen meum commutem et Quintus fiam e Sosia.
Quattuor viros sopori se dedisse hic autumat.“

Metuit igitur, ne ipse quintus sit, quem ille ita male tractaturus sit: eamque sententiam v. 304 sq. ambigue ac festive sic exprimit, quasi vero putet se brevi nomen suum cum praenomine Romano: „Quintus“ commutaturum esse. Similiter iocatur Chrysalus (Bacch. 361 sq.):

„Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo“;

pariterque minatur Libanus conservo (Asin. v. 373 sq.):

„Hercle vero tu cavebis ne me attingas, si sapis,
Ne hodie malo cum auspicio nomen commutaveris.“

Similiter ambigue Sosia et in eadem actus primi scaena longa et in fabulae partibus aliis saepius iocatur. Ac legimus v. 344:

Me.: „Ain vero?" So.: „Aio enim vero." Me.: „Verbero." So.: „Mentiris nunc".

Mercurius enim ex Sosia, cum ei ferociter responderit (v. 343) se utcumque sibi placeat, et servum et liberum esse, quaerit (v. 344): „Ain vero?" Quae cum affirmaverit, eum verberonis nomine compellat. Ille autem eius verba sic interpretatus, quasi vero dixerit: „verbero" scilicet „te", iocose respondet eum cum ipse nunc non vapulet, mentiri.

Paulo post Mercurius ei denuntiat (v. 348) se ei linguam scelestam compressurum esse, ut ille sibi silentium imponere cogatur.[1]) At Sosia alium sensum subicit sub voce: „comprimere" i. e. stuprare[2]) v. 348 sq.:

„Haud potes:

Bene pudiceque servatur". (scil. lingua).

Idem iocus ambiguus occurrit Casin. 362:

„Comprime istum. Immo istunc, qui didicit dare";

Truc. v. 262 sq:

„Comprime sis eiram! Eam quidem hercle tu quae solita's comprime.

Impudens ut per ridiculum rustico suadet stuprum";

---

[1]) cf. Mil. 571: „comprimere linguam";
Amph. 496: „comprimere orationem"; Amph. fr. 18: animam comprime"; Rud. 1402: „non tacebo . . . . nisi talento comprimor".
Rud. 1125: „non ego te comprimere possum sine malo?"
Rud. 1064: „ut nequitur comprimi".
Cas. 250: „comprime te: nimium tinnis".

[2]) cf. Aul. prol. 28. 29. 30. 689. Cist. prol. 156. 160. 176. 177. 450. Epid. 540;
similiter: „compressus" Amph. prol. 109.

Rud. 1073 sqq.:

„comprime hunc sis si tuost.

Grip. Quid tu idem mihi vis fieri quod erus consuevit tibi?

Si ille te comprimere solitust, hic noster nos non solet;"

Asin. 292 sq.:

„Edepol hominem infelicem, qui patronam comprimat:

nam siquid sceleste fecit, lingua pro illa perierat."

Porro cum deus Sosiam ad se propius accedentem videns v. 327 dixerit:

„Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo;"

id est: ipsius culpa fiet, si in perniciem suam incurrerit, ille argutias quaerens vocem „iumentum" v. 328 proprie intellegit:

„non equidem ullum habeo iumentum."

Eodemque versu deus pergit:

„onerandus [1]) est pugnis probe."

Sosia autem ad verbum „onerare" adnectens iocose dicit se quoque onere vacare posse, cum nausea se tam inanem reddiderit ac reddat, ut vires se defecerint v. 329 sq.:

---

[1]) cf. Capt. 465: „onerare aliquem malignitate";
Capt. 774: „onerare amoenitate";
Mil. 677: „onerare hilaritudine";
Capt. 827: „onerare laetitia";
Merc. 978: „onerare verbis";
Pseud. 764. Mil. 903: „onerare praeceptis";
Pseud. 357: „onerare maledictis";
Sti. 532: „se onerare voluptatibus";

„lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum:
etiam nunc nauseo.
Vix incedo inanis, ne ire posse *cum onere* existumes.“

Similiter ludit v. 386, ubi Mercurius ei dicit: „fugit te ratio“ id est: „erras“, et ille ut semper, ita nunc quoque ad iocandum paratus respondet (v. 386):

„Utinam istuc pugni fecissent tui“,

id est: „utinam tui pugni fugissent, quibus me iam male mulcavisti“.

Pariter facete Mercurio affirmanti se dixisse se Amphitruonis Sosiam esse respondet v. 383 sq.:

„Peccaveram.
Nam „Amphitruonis *socium*“ † neme esse volui dicere.“

Similitudine igitur vocabulorum „Sosia“ et „socius“ errorem suum excusari vult.

Nec vero aliter iocatur Mercurium sibi simillimum esse miratus ac v. 458 sq.[1]) ad duplicem vim vocis „imago“ alludit:

„nam hicquidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi.“

Scurriliter igitur gloriatur sibi vivo iam talem honorem tribui, quali mortuus, utpote qui servus sit, numquam sit fruiturus. Cogitat de illo more in funeribus clarissimorum Romanorum mortuorum

[1]) cf. Schroederus: „de Romanis moribus palliatae fabulae“ diss. III progr. schol. Marienwerd. pag. 7.

non solum maiorum vultus cera expressos, sed etiam ipsius defuncti imaginem praeferendi (cf. Suet. Vesp. 19; Liv. epit. 48; Hor. epod. 8, 11; Polyb. 6, 53, 6; Cic. de orat. II, 55, 225 al.) Quocum loco comparandus est Mostell. v. 427 sq.:

„Ludos ego hodie vivo praesenti huic seni
Faciam: quod credo mortuo numquam fore.“

Simili ioco ambiguo ac scurrili Sosia etiam eram irridet. Alcumena enim eius protervitate et impudentia exacerbata v. 721 sq. ei malum minitata erat:

„Verum tu malum magnum habebis, si hic suom officium facit:
Ob istuc omen, ominator, capies quod te condecet.“

Ille autem usque eo audaciae progreditur, ut ei paria paribus remuneretur v. 723 sq.:

„enim vero praegnati oportet et *malum* et *malum* dari,
ut quod obrodat sit, animo si male esse occeperit.“

Sed ne nunc quidem verniliter ludendi occasionem praetermittit optans, ut erae praeter illud „malum“ aliud „malum“ detur, id est ea frux, qua mulieres praegnates, quas animus defecturus videatur, recreari soleant. Antea autem voce: „malum“ significaverat: „malam rem“.

Nec minus ambigue ac festive Mercurius, qui Sosiae forma indutus etiam eius naturam ac mores imitatur, interdum loquitur. Ac v. 353:

„At nunc abi sane, advenisse familiares dicito“

a Sosia admonitus, ut de Amphitruonis aedibus discedat, respondet v. 354 sq.:

„Nescio quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis,
Familiaris accip<i>ere faxo haud *familiariter.*"

Ludit igitur in vocibus: „familiaris" id est „servus"; et „familiariter" i. e. „amice". Idem iocus legitur Epid. v. 2, ubi Epidicus Thesprioni interroganti quis se pallio reprehenderit, affirmat: „*Familiaris*", et ille pergit:

„Fateor: nam odio's nimium *familiariter.*"

Deinceps similis iocus ambiguus ac scurrilis v. 1034 occurrit, quo Mercurius vel potius Pseudososia a Jove iussus Amphitruonem ab aedibus abigere eum hoc modo illudit:

„Sacrufico ego tibi. . . . . Quia enim te macto infortunio."

Vox „macto" habet hanc duplicem vim: „aliquem aliqua mala re afficere"[1]) et: „hominem quendam honoribus decorare" aut „deum sacrificio placare" (cf. Cic. Vatin. 6, 14: „cum puerorum extis deos manes mactare soleas"). Ussingius autem voces: „infortunio mactare" perperam, ni fallor, vertit: „nihil omnino curare": quae explicatio in hunc locum minime quadrat. Nam Mercurius dicit ambigue Amphitruoni se sacrificare, quia illum mactet, non hostia, sed infortunio. Gloriatur igitur se ei negotia

---

[1]) cf. Bacch. 364. 886. Curc. 537 sq. Trin. 993. Poen. 517: „Aliquem mactare infortunio."
Aul. 535: „mactare malo et damno";
Amph. fr. 1: „mactare cruciatu".
Most. 61: „mactare magna mala re".

et molestias exhibuisse, quibus eius stomachus motus esset.

Etiam in his Mercurii verbis (v. 484 sq.)

„Verum minori puero maior est pater,
Minor maiori"

vis quaedam duplex inest. Nam dicere vult: patri maiori, id est Jovi dignitate ac potentia praepollenti, esse puerum minorem i. e. minorem natu, Herculem, et patri minori, id est Amphitruoni auctoritate et opibus inferiori, filium maiorem i. e. maiorem natu, Iphiclem, quem tribus mensibus ante genuerit.

Haec ad Plauti sollertiam adumbrandam in oratione componenda satis sint: verum eadem ingenii Plautini vis, quam non satis possumus admirari, aliis quoque rebus cognoscitur. Neque enim raro poeta in hac fabula, cuius argumentum totum ex exemplo Attico depromptum esse omnes consentiunt, et res partim ad Romanorum vitam privatam partim ad publicam pertinentes commemorat et locutiones quasdam aut quasi proverbii Latini locum obtinentes aut ex sermone familiari petitas affert. Et ad haec omnia ita alludit, ut aut nonnullos versus vel unius versus maiorem partem ad animos et ingenia popularium hoc modo accommodaverit, aut nonnullis versibus, quorum sententia generalis ea est, ut etiam a poeta Graeco profecta esse possit, singula tantummodo vocabula posuerit, quibus Romani certam vim subiecerunt.

Primo igitur loco accuratius inspiciamus, quorum morum institutorumque ad popularium vitam privatam spectantium in hac fabula mentionem fecerit. Atque incipiam ab iis locis, qui ad servorum Romanorum condicionem pertinent.

Legimus v. 461 sq. (cf. Schroederus l. s. s. pag. 12):

„Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille faxit Juppiter,
Ut ego hodie raso capite calvos capiam pilleum.“

Sosia sperat fore, ut, quia Mercurius sibi tota forma simillimus dixerit ipsum Sosiam esse, ne erus quidem se noverit: quod si factum sit, se omnino iam non esse servum, sed confidentem sibi nihil mali eventurum esse, raso capite pilleum capere posse. Quo de more servorum Romanorum manumissorum capita antea rasa pilleo tegendi vide Servium (ad Aen. 8, 564): „Feronia etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pilleum capiebant“; eorundemque de consuetudine capita radendi Nonium (p. 528): „Qui liberi fiebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere ut naufragio liberati solent“ (cf. Marquardtius: „das Privatleben der Römer“ p. 572 adn. 2). Pilleus iterum memoratur in fragmento quodam a Nonio (p. 220, 12) Captivis Plautinae nescio an falso ascripto:

„pilleum quem habuit diripuit eumque ad caelum tollit.“

Fortasse ad hunc morem referendi sunt et Stichi v. 751:

„vapulat peculium: actumst: fugit hoc libertas caput“,

ubi quidem plerique putant caput ut fere semper, ita hic quoque positum esse pro persona loquentis; et Merc. v. 152 sq: „Liberum
Caput tibi faciam cis paucos mensis.“

Deinceps ut fere in omnibus comoediis Plautinis,

ita in hac quoque servi more Romanorum non raro dicuntur familiares, ex quibus familia constat. (Cf. praeter vs. 353 sqq., quos iam supra attuli, prol. v. 127. 146. 359. 1083. Men. 614. Merc. prol. 69. Mil. 174. 183. 262. 278. 389. Most. 441. Asin. 319.) Etiam Senecae aetate illud nomen usitatum fuit: cf. ep. 47, 14: „Dominum patrem familiae appellaverunt (scil. maiores), servos, quod etiam in mimis adhuc durat, familiares.“

Familia autem commemoratur (v. 359):

„Quin me esse huius familiai familiarem praedico.“

et v. 471.

(Cf. Poen. 186. 396. 804. 870. Mil. 166. 172. 351. Pers. 293. 502. Truc. 407. Trin. 251. Merc. 398. Capt. 307. Most. 106.) Huc etiam quadrat v. 399, ubi Sosia affirmat:

„tu me alienabis numquam quin noster siem“;

i. e. me numquam ex familia nostra eicies. De voce „alienare“ eodem sensu saepius posita, si de liberis aut servis ex familia extrudendis agitur cf. Ruhnkenius ad Ter. Haut. 5, 2, 26.

Porro convicia quaedam in servos Romanos saepissime ingesta occurrunt. Ex quibus primum afferam „furcifer“ v. 285 sq.:

„Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiam“:

et v. 539: „nonne ego possum, furcifer, te perdere?“ (Cf. Gust. Hoffmannus: „Schimpfwörter der Griechen und Römer“ progr. schol. — „Friedrich-Realgymnas.“ — Berol. 1892 p. 16.) Quod nomen Donatus (ad Ter. Andr. v. 618) ita explicat: „furciferi dicebantur, qui

ob leve delictum cogebantur a dominis ignominiae magis quam supplicii causa circa vicinos furcam in collo ferre subligatis ad eam manibus."

Altera vox contumeliose servis Romanis non semel dicta: „carnufex" occurrit vss. 376. 422. 518. 588; cuius omnia comicorum exempla collegit idem Hoffmannus (l. s. s. p. 21) in adnotatione simul affirmans Graecos vocem „δήμιος" pariter non usurpasse. Carnufex autem erat Romanorum servus publicus, qui alios servos verberibus aut mortis supplicio afficiebat.

Deinceps afferam convicium: „ulmorum Acheruns" (v. 1029), quocum componendum est maledictum: „ulmitriba" (Pers. 278). Haec autem quae Amphitruonis loco leguntur, significant: „homo nequissime, qui dignus es, cuius in tergo multae virgae ulmeae confringantur!" Quod poeta Capt. v. 650 sic effinxit:

„Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo."

Ulmeis virgis caedebantur servi Romani, non Graeci, qui feriebantur herba quadam, quae νάρθηξ dicitur (cf. Xenoph. Cyrop. 2, 3, 20). Illae virgae ex ulmo confectae saepenumero apud Plautum memorantur: cf. Epid. 28. 311. 626. Pers. 28. Pseud. 333. 545. Rud. 636. Asin. 341. 363. 547. 575.

Etiam aliarum poenarum servilium Romae usitatarum in Amphitruone mentio fit. Ac vs. 155 sqq. Sosia exponit, quae poena sibi noctu in plateis ambulanti immineat, si a tribus viris in carcerem ductus sit:

155: „Quid faciam, nunc si tresviri me in carcerem compegerint?

Inde cras quasi e promptaria cella depromar ad flagrum,
„Nec causam liceat dicere mihi neque in ero quicquam auxili siet
Nec quisquam sit quin me ⟨malo⟩ omnes esse dignum deputent.
Ita quasi incudem me miserum homines octo validi caedant."

Illi tres viri sunt Romanorum tres viri capitales, qui servos nequam ab octo lictoribus, de quibus vide Asin. 564. 574., flagris caedendos curabant. (cf. Hor. epod. 4, 11: Schol. Cic. div. in Caecil. 16, 50: „fures et servos nequam, qui apud tresviros capitales apud columnam Maeniam puniri solent".)

Aliam poenam crudelem Amphitruo iratus Sosiae, cuius dicta perspicere non potuerit, minatur (v. 556 sq.)

„iam quidem hercle ego tibi istam
Scelestam, scelus, linguam abscidam."

Eiusdem mentio fit a Plauto Mil. 318:

„non tu tibi istam praetruncari linguam largiloquam iubes?"

Aul. 189: „quoi ego iam linguam praecidam atque oculos effodiam domi."

Aul. 250: „Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus";

et a Cicerone (pro Cluent. 66, 187): „nam Stratonem quidem, iudices, in crucem esse actum exsecta scitote lingua." Cf. etiam Catullus (108, 3 sq.):

„non equidem dubito quin primum inimica bonorum
lingua execta avido sit data volturio."

Nec vero minus crudelem ad poenam servilem haec Sosiae verba spectant v. 279 sq.:

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem."

Vetere enim Romanorum more servi manibus vinctis de trabe pendebantur et virgis aut loris caedebantur. [1])

Gravissimum autem supplicium, quo servi Romani puniebantur, legitur fr. 1:

„At ego certo † cruce et cruciatum mactabo exuo mastigia":

quo quamvis mutilatum sit, tamen cognoscitur agi de poena crucis acerrima, quae Graecis, quippe quibus servos ad arbitrium necare non liceret, ignota erat. Quae noli negare hoc Alexidis loco nisus (III 486. Mein.):

„*ἥδιστ' ἂν ἀναπήξαιμ' ἐπὶ τοῦ ξύλου λαβών*":

nam hic cogitandum est de eodem supplicio, de quo scholiasta ad Arist. Thesmoph. 940:

„*κέλευε πρὸς τῇ σανίδι δεῖν τὸν τοξότην*"

haec annotat: „*πρὸς σανίσιν ἐδεσμεύοντο πολλάκις, ὡς καὶ Κρατῖνος δηλοῖ.*" (II 223 Mein.) Eadem crucis poena obiter tangitur Amphitr. v. 793:

„At cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo" — scil audio —

[1]) cf. Aul. 643 sq., Most. 1167. Pseud. 200. Truc. 777. Poen. 146. 148. Trin. 248. Rud. 722. Asin. 301 sqq. 564. Similiter dicit Menaechmus ad medicum (Men. 934.):

„te pendentem fodiam stimulis";

et Lysidamus senex, quem conaminis adulterii poenitet, ad Cleostratam uxorem Cas. v. 1003:

„Nulla causast, quin pendentem me, uxor, virgis verberes."

et v. 1033:

„Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas."

Cf. Cas. 300: „pereas cruciatu malo;"
Epid. 513: „malo cruciatu pereas";
Aul. 459: „abi in malum cruciatum" al.

Plautus igitur ut condicionem servorum Romanorum in hac fabula non semel respicit, ita ad alias quoque res ad popularium rationes privatas spectantes saepius alludit.

Ac dicit partem quandam aedium Romanarum v. 1107 sq., ubi Bromia ancilla narrat, quae mira Hercule parto in Amphitruonis aedibus gesta sint:

„postquam in cunas conditust,
„Devolant angues iubati deorsum in inpluvium duo."

Cui loco simillimus est Ter. Phorm. v. 707:

„anguis per inpluvium decidit de tegulis".

Hoc igitur Amphitr. versu inpluvium,[1]) quod erat atriorum Romanorum pars, commemoratur, quamquam poeta de Amphitruonis Thebani aedibus loquitur. Recte autem, ni fallor, Ostermeyerus (de historia fabulari in comoediis Plautinis diss. inaug. Gryphisw. 1884 p. 57) censet voce: „inpluvium" ad Romanorum ingenia accommodata eam aedium Graecarum partem designari, quae *περίστυλος* vel *αὐλὴ περίστυλος* — i. e. aula columnis circumdata — vocata sub divo sit.

Porro v. 459:

„Vivo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi"

[1]) cf. Mil. 159. 175. 287. 340. 553. Epid. 223.

pertinet ad illum morem in funeribus defuncti imaginem praeferendi, de quo iam supra verba feci.

Deinceps v. 368:

„Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis"

tunicae commemorantur. Cuius Romanorum vestimenti non raro apud Plautum mentio fit: *„tunica"* Epid. 230. 725. Trin. 1154. Pseud. 738. Pers. 155. Mil. 1423; *„tunicula"* Rud. 549; *„homo tunicatus"*, Poen. 1121; „tunicae" Aul. 647. Pers. 363. Poen. 975. 1298. 1303. Mil. 687. Voce „tunica" vel „tunicae" plerumque utitur ad reddendum vocabulum „χιτών" in exemplari Graeco positum (cf. Wagnerus ad Aul. 4, 4, 20; Steinhoffius: „Prolegg. zu Plautus' Amphitruo" p. II progr. schol. Blankenburg. 1879 pag. 5). Pluralis „tunicae" ab aliis aliter explicatur. Atque Ussingius satis multa exempla afferens (p. 273) recte, ut opinor, putat poetam significavisse morem Romanum duas tunicas gestandi, interiorem et exteriorem, subuculam et indusium. At Steinhoffius (l. s. s.) cum aliis contendit, quia monumentis ad aetatem Plautinam spectantibus de hoc tunicarum duarum usu quicquam nondum possit cognosci, pluralem „tunicae" ob nullam aliam causam scriptum esse, nisi quod hic duo alii quoque plurales: „dolis" (v. 367. 368.) et „mendaciis" (v. 366.) legantur. Verum haec opinio vel per se ipsa mira redarguitur, quod ceteris locis, quibus forma „tunicae" posita est, pluralis eodem modo explicari non potest, cum alii plurales ibi non occurrant. Ergo quamquam monumenta ad hanc rem pertinentia non praebent, quibus Ussingii sententia stabiliatur, et quamquam Varro ipse apud Nonium (p. 108, 30) profitetur „sibi puero modicam unam fuisse tunicam et togam", tamen non dubito cum illo dicere poetam et Amph. v. 368 et ceteris locis, quibus pluralis: „tunicae" occurrat, de illo more duas tunicas gestandi cogitasse. Adde quod Aul. 509 indusiarius et Epid. v. 231 vestis indusiata commemorantur.

Venio nunc ad eos huius fabulae locos, quibus poeta Romanorum rationes publicas respicit: ac primum quidem de versibus ad eorum religionem spectantibus nonnulla annotabo.

Vs. 831 sqq. Alcumena iurat:

„Per supremi regis regnum iuro et matrem familias

Iunonem, quam me vereri et metuerest par maxume

Ut mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore

Contigit, quo me impudicam faceret."

Implorat igitur praeter Iovem, per quem et Graeci et Romani omnes iurabant, Iunonem, quae dicitur mater familias, utpote quae matronarum ac familiae totius patrona sit: et praecipue Iuno cognomine Lucinae ornata a mulieribus praegnatibus Romanis invocata est. (Cf. Ter. Andr. 473. Adelph 487.):

„Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro";

Plaut. Aul. 691 sq.:

„obsecro te, uterum dolet.

Iuno Lucina, tuam fidem";

Truc. 476:

„Date mi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam";

A. Kesebergius: „quaestiones Plautinae et Te-

rentianae ad religionem spectantes“ (diss. inaug. Lips. 1884 p. 6 sq.

At in Graecia mulieres parturientes plerumque Dianam (Theocr. 27, 29 al.) adorabant, quod exemplum feminae Romanae postea demum secutae sunt (cf. Hor. od. 3, 22; Catull. 34, 9 sqq. Ovid. fast. II, 451 al.). Cuius discriminis gravissimus testis est Cicero (de nat. deor. II, 27, 68): „itaque ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo vocant“.

Atqui de Terentio Donatus (ad Andr. l. s. s.) definite affirmat: „obstetriciam potestatem Iunoni attribuit, quamquam Menander illam Dianam appellat“; similiterque Eugraphius: „Hanc (Iunonem) quidam tamen potius esse Dianam dixerunt. Nam ita Menander ipsam vocat quam dicit *Ἄρτεμιν*“. Ergo, Iuno a feminis Graecis interdum mulierum gravidarum patrona licet vocata sit (cf. Prellerus: Myth. Graec.[1] I. 113), tamen non videor nimis audacter contendere Plautum res Romanas respicientem Alcumenam per Iunonem Lucinam iurantem fecisse, in exemplo Attico Dianam, non Iunonem nominatam fuisse.

Poeta igitur ut hic de Iunone Lucina, ita aliis locis de Jove Capitolino cogitari vult. Ac v. 278 eius cognomen: „Optimus“ legitur.

Porro v. 461:

„Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille
faxit Iuppiter“

hic deus dicitur: „ille Iuppiter“; cf. Most. 398. Pseud. 923: „ita ille faxit Iuppiter“; Curc. v. 27:

„nec me ille sierit Iuppiter“; Cic. Catil. III, 9, 22; III, 12, 29; Verg. Aen. II, 779; Corn. Nep. epist. Corn. (ed. Roth. p. 177) Liv. I, 24, 8: „ille Diespiter“; Th. Hubrichius: „de deis Plautinis Terentianisque“ diss. inaug. Regimont. 1884 p. 14.

Denique v. 450 sq. Iovis Capitolini quadrigae commemorantur:

„Quadrigas si nunc inscendas Iovis
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium“ [1]).

Mercurius Sosiae cum impedire velit, ne dominae coniugis reditum nuntiet, manus suas minaciter intendens affirmat eum quamvis celeriter fugiat, tamen verbera non effugiturum esse. Consulto autem ut celeritatis modum definiat, dicit Iovis quadrigas omnibus Romanis notissimas. Quibus quondam Romanis a Veientibus denegatis equi ipsi cum curru Romam cucurrisse et in Capitolio demum constitisse dicebantur. (cf. Fest. p. 274; Plut. Poblic. 13; Serv. ad Verg. Aen. 7, 188: Kesebergius l. s. s. p. 23 sq.; Hubrichius l. s. s. p. 22 sq). Ex quo tempore quadrigae in templi Capitolini fastigio constitutae erant.

Pariter Romanorum cultus divini Plautus rationem habet v. 272:

„Credo ego hac noctu Nocturnum obdormi⟨vi⟩sse
ebrium“,

---

1) Eandem sententiam poeta Iove non nominato simillime bis reddidit Aul. v. 600:

„Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi“;

et Asin. v. 278 sq.:

„Nam si huic occasioni tempus sese supterduxerit,
Numquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.“

ubi Nocturnum nominat, cuius dei cultum Romani ab Etruscis acceperant. Idem etiam Summanus dicebatur (cf. Merckelius ad Ovid. Fast. p. 208; Mercklinius ind. Dorpat. 1862 p. 10). Summanus a Plauto commemoratur Bacch. 895 et Curc. 413 sqq., ubi parasitus in eius nomine ludit.

Nec vero solum de deorum Romanorum cultu nonnulla hac fabula cognoscimus, verum etiam de Romanorum caerimoniis ritibusque divinis quibusdam eadem docemur.

Ac v. 1093 sq. Bromia ancilla Amphitruoni narrat, quid Alcumena cum doloribus in utero exortis vexari coepta sit, domi fecerit:

„Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto.“

Vocabula v. 1094 extrema: „capite operto“ ad morem vere Romanum pertinent (cf. M. Schusterus: „quomodo Plautus Attica exemplaria transtulerit“ diss. inaug. Gryphisw. 1884 p. 9; Kesebergius: l. s. s. p. 6 sq.). Graeci enim capite aperto (cf. Plut. Quaest. Rom. 10) deos venerabantur, etsi Aesculapium deum eius in templo incubantes aliter videntur coluisse (cf. Aristoph. Plut. 689 sqq.; 707; Plaut. Curc. 389). At Romani omnes deos venerantes caput operuerunt, qua de re Plutarchus uberius disputavit (quaest. Rom. c. 9: *Διὰ τί τοὺς θεοὺς προσκυνοῦντες ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν;*); cf. etiam Macrob. Saturn. III, 6; Cic. de nat. deor. II, 3, 10; Prop. III, 28b, 45; acta fratr. arval. 79 (ed. Henz.): „in pronao aedis Concordiae velato capite sacrificium indixerunt.“

Porro legimus v. 739 sq.:

„Sed, mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie aut ture conprecatam oportuit.“

Sosia erae, quam v. 738 somniavisse arguit, suadet, ut experrecta Iovi prodigiali salsam molam aut tus offerat, ne somnium evadat. Ad Romanorum autem res divinas referendae sunt voces: „mola salsa“ (v. 740). Namque apud eos salsa mola, cuius componendae rationem Servius (ad Verg. Ecl. 8, 82) accuratissime descripsit, hostiae caedendae spargebantur. Etiam homines somniis malis territi in sacrificando mola salsa utebantur: cf. Tib. I, 5, 13 sq.:

„ipse procuravi ne possent saeva nocere
somnia ter sancta deveneranda mola“;

Lygd. III, 4, 9 sq.:

„et natum in curas hominum genus omina noctis
farre pio placant et saliente sale“;

Martial 7, 54, 5:

„Consumpsi salsasque molas et turis acervos“.

Praeterea ad Romanorum ritus religiosos spectat vocabulum quoddam quod legimus v. 776:

775: „Quaeso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri“?

Alcumena enim professa se a coniuge iam pateram auream accepisse, Sosia, qui cistellae in qua illam inesse putat, signum integrum esse cognovit, erum interrogat, cur uxorem pro cerrita circumferri, i. e. ex ritu et superstitione vetere sacro facto purgari et lustrari, non iubeat. Vox „circumferre“ est verbum pontificale atque a scriptoribus Romanorum lustrationes sollemnes describentibus sae-

pissime positum (cf. Buechelerus: Popul. Iguv. lustr. p. 11).

Servius autem ad Verg. Aen. 6, 229 annotat: „Circumtulit: purgavit. Antiquum verbum est. Plautus: ‚pro larvato te circumferam' i. e. purgabo". Circa eum hominem aut eam rem, quae purgaretur, Romani hostias aut alias res ad lustrandum idoneas ferebant (cf. Prellerus Myth. Rom.² p. 370 sqq.). De coniungendi vocis: „circumferre" ratione cum aliis vocabulis Ussingius (p. 310) haec dicit: „ex activa forma: „circumfero agrum hostiis" passiva forma facta est duplex: „hostiae circumferuntur agrum" et „ager hostiis circumfertur". Ita hic quoque locus interpretandus est: „Quin iubes circum istanc, cum cerrita sit, hostias vel alias res ferri, quibus homines mente capti expiari solent?"

Ut igitur ritus nonnulli religiosi Romanorum, ita homines quoque quidam respiciuntur, qui partim eorum sacra procurabant, partim vaticinando vel similibus rebus Romanis superstitiosis proderant. Dico haruspicum Etruscorum collegium et hariolos fatidicos sortilegosque, quos poeta una nominat v. 1132, ubi Iuppiter Amphitruoni ipse omnes res quae ei adhuc obscurae visae erant, patefacturus haec commendat v. 1132 sq.:

„hariolos, haruspices
Mitte omnes."

De quibus cf. Marquardtius „Handbuch der römisch. Altertüm." IV. 111. 691; et de hariolis Plautinis ac de voce: „hariolari" apud hunc comicum trita cf. Schusterus l. s. s. p. 42. Haruspices commemorantur Poen. 464. 746. 791. 1206. 1209. Curc. 483; et una cum hariolis: „hariolus et haruspex" Ter. Phorm. 708 sq.; Cic. de nat. deor. I, 20, 55; Cato de re rust. 5, 4; et „hariola atque haruspica" Mil. 692.

Postremo poetam ad Romanorum superstitiones quasdam allusisse non tacebo v. 777:

„Nam haec quidem edepol larvarum plenast";

et fr. 7:

„Larvatus: edepol hominem miserum: medicum quaeritat";

et fr. 12, 2:

„tu certe aut larvatus aut cerritus es".

Larvae mortales mente privare a Romanis putabantur: itaque homines larvis stimulati et agitati dicebantur larvati (cf. Paul. p. 119 s. v. larvati; Plaut. fr. apud Non. p. 44, 22; Men. 878); de larvis vide Aul. 642:

„larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem";

Cas. 592: „qui me atque uxorem ludificatust larva";

Capt. 598: „larvae stimulant virum";

Prellerum Myth. Rom.² p. 499.

De versibus igitur ad Romanorum religionem pertinentibus quoniam uberius locutus sum, nunc transeo ad disputandum de iis versibus, quibus aliae res ad illorum vitam publicam spectantes, res militares, respiciuntur; quibus quanta sollertia poeta in vertendo fuerit, non minus bene intellegi potest. Ac saepius loquitur et de Thebanorum et de hostium legionibus[1]): prol. v. 100. 136. 188. 218. 222. 363.

[1]) Mil. 17. 224; Asin. 554; Pseud. 586. 761.

414. 691. et de Thebanorum legione[1]) totum exercitum hoc singulari comprehendens: prol. v. 133. 523. 947. Deinceps posuit pro voce: „hostis" nomen: „perduellis" v. 250. 644. (cf. Cist. prol. 199. Mil. 222. Pseud. 583. 589.), quod iam in legibus duodecim tabularum legitur: deque eo Cicero (de offic. 1, 12, 37) haec testatur: „Equidem etiam illud animadverto, quod, quis proprio nomine *perduellis* esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam."

Porro commemorantur v. 227 tubae, quibus Romani in proeliis utebantur. Pariter ad Romanorum res militares videtur referenda vox: „adoria" (v. 193)

„praeda atque agro adoriaque adfecit
(scil. Amphitruo) populares suos."

Posteri quidem ab Horatii temporibus voci: „adoria" vim: „gloria" tribuerunt: sed Plautus id nondum videtur fecisse (cf. Kiesslingius ad Hor. od. 4, 4, 41). Nam cum v. 193 verba „praeda" et „ager" vocem „adoria" antecedant, existimo hic intellegi etiam praemium visu tactuque manifestum ac tale, quale saepius milites Romani, qui fortissime pugnaverant, ab imperatoribus vel publice victoria reportata acceperunt (cf. Gronovius „Lect. Plautin." p. 10 sq.). Huc accedit quod Amphitruo victor populares illis tribus rebus dicitur affecisse: quodsi voci: „adoria" vim „gloria" subicimus, Sosia mire loquitur, quoniam dux Thebanus hostibus victis sibi ipse gloriam immortalem (cf. v. 644 sqq.), non

[1]) Singularis etiam occurrit Men. 183. Capt. 451. Epid. 46. 57. 91. 206. Most. 129. 1047. Poen. 477. Truc. 508. 615. Aul. 560.

solum militibus peperit. Ergo poeta videtur alludere ad Romanorum morem milites victores frumento vel adoria, id est libo ex adore facto, donandi.

Nunc vero locutiones ad Romanorum res militares pertinentes ut enumerem, v. 222 occurrunt verba trita: „legiones instruere", quae saepissime apud Caesarem aliosque rerum Romanarum scriptores redeunt. Praeterea afferam illud: „sedere apud hostes" (v. 599), de qua locutione usitata Taubmannus nonnulla attulit; equidem haec exempla addam: Nep. Datam. 8; Lucan. II, 474; Liv. 2,12.

Porro leguntur v. 414 haec verba:

„et legiones Teloboarum vi pugnando cepimus."

Cf. Asin. 555:

„Vi pugnando periuriis nostris fugae potiti."

Men. 1036. Mil. 267. Cic. ad famil. V, 10b:

„sex oppida vi oppugnando cepimus."

Adde quod v. 196:

„ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo";

et v. 657:

„Eos auspicio meo atque [in]ductu primo coetu vicimus"

formulae illius cotidianae mentio fit, quam scriptores Romani, ut designarent aliquod bellum auspiciis factis susceptum esse, saepissime posuerunt (cf. Epid. 343. 381; Plin. n. h. 3, 24, 4; Suet. Aug. 21; Tac. Annal. 2, 41; Liv. 41, 28; C. I. L. I, 541. 542. al.). Neque enim Romani nisi auspicato bellum gerebant (cf. Cic. de divin. I, 2, 3; Plaut. Pers. v. 606; Kesebergius l. s. s. p. 9).

Alia locutio huc quadrans memoratur v. 258 sq.:

„Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos
In dicionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.“

Quibuscum verbis haec sollemnia dicta Campanorum legationis principis de pace cum Romanis agentis conferri possunt (Liv. 7, 31, 4): „itaque populum Campanum *urbem*que Capuam, agros, delubra deum, *divina humanaque omnia in vestram*, patres conscripti, populique Romani *dicionem dedimus*.“ Antea autem Plautus eandem sententiam paulo aliter expresserat (v. 225 sq.):

„Convenit, victi utri sint eo proelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.“

Vocibus „arae, foci“ vel „arae focique“ significantur et arae deorum in urbis templis statutae et foci Larum et penatium, qui erant in singulorum aedificiorum privatorum atriis: itaque haec formula plerumque usurpata est, si de omnibus alicuius urbis delubris et publicis et privatis agitur: cf. Serv. ad Aen. III, 134: Cic. pro Deiot. 3: „te eius Dii penates acceperunt, te amicum et placatum Deiotari regis *arae focique* viderunt“; ad Att. 7, 11: „non est, inquit, in parietibus respublica, at *in aris et focis*“; de nat. deor. III, 40, 94: „est enim mihi tecum pro *aris et focis* certamen; Sall. Catil. 52, 3: „qui patriae, parentibus, *aris atque focis suis* bellum paravere.“

Quae cum ita sint, censeo Plautum de condicionibus pacis Thebanis cum Telobois proelio commisso faciendae loquentem hic de illa formula cotidiana et vulgari cogitari velle, quamquam non

ignoro Sophoclem voces: „*ἐσχάραι*“ et „*βωμοί*“ similiter iuxta posuisse Antig. 1016 sq.:

„*βωμοὶ γὰρ ἡμῖν ἐσχάραι τε παντελεῖς*
πλήρεις ὑπ᾽ οἰωνῶν τε καὶ κυνῶν βορᾶς.“

Etiam ius Romanum Plautus in hac fabula ita respexit, ut et magistratuum de hominibus scelestis iudicantium mentionem faceret et vocabula quaedam et formulam quandam afferret, quae in sermone Romanorum iuris consultorum usitata erant.

Magistratus, quos dico, sunt illi tres viri capitales, quos una cum octo lictoribus (v. 159) iam supra obiter tetigi, cum loquerer de poena illa, qua servi noctu in plateis urbis oppressi afficiebantur (v. 155). Quibus magistratibus hoc munus erat publice datum, ut „vincla sontium servarent, capitalia vindicarent“ (cf. Cic. de legib. 3, 3). Memorantur etiam Aul. v. 416 sq. Pers. 72. Asin. 131.

Quod ad talia vocabula attinet, qualia in Romanorum sermone forensi certam vim habent, Amphitr. v. 375: „pugnis usu fecisti tuom“ occurrunt voces: „usu facere“. Eas, pro quibus saepissime: „usu capere“[1]) dicitur, Gronovius (lect. Plaut. p. 12) sic definivit: „est tam diu tamque libere uti et contrectare alienum, ut nostrum fiat, et veterem dominum amittat.“

Formula denique illa, qua apud Romanos divortium denuntiatur, posita est v. 928:

„valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas“:

---

[1]) Truc. 264 scribit Schoellius pro Ambrosiani SUT DECEPISTI „usu cepisti“ quod dubium est.

de qua Gaius (Dig. 24, 22, 1) haec docet: „In repudiis autem, id est renuntiatione, comprobata sunt haec verba: „Tuas res tibi habeto.“ Cf. Gronov. l. s. s. p. 21 sq.: Marquardtius: „Das Privatleben der Römer“ I. p. 70 adn. 5. Apud Plautum eandem iterum legimus Trin. 266: „tuas tibi res habeto“.

Relinquitur, ut de iis locis loquar, ubi poeta aut locutiones quasi proverbii Latini locum obtinentes scripsit aut sermonem familiarem imitando effinxit.

Ac. v. 386 haec locutio occurrit, quae in proverbii consuetudinem videtur venisse: „fugit te ratio“. Cf. Catull. 10, 29; Cornific. ad Herenn. II, 16, 24; II, 25, 40; Gronovius l. s. s. p. 13. Vide etiam Catull. 12, 4:

„hoc salsum esse putas? fugit te, inepte.“

Altera phrasis proverbii loco usurpata legitur v. 814:

„haeret haec res, si quidem haec iam mulier factast ex viro.“

Cf. Trin. 904. Pseud. 985: „haeret haec res“;
Pseud. 423: „haeret hoc negotium“;
Cic. de off. 3, 117: „sed aqua haeret, ut aiunt“;
Cic. ad Quint. fratr. 2, 8 (6), 2: „in haec causa mihi aqua haeret“.

Deinceps ad sermonis familiaris exempla ut veniam, ut fere in omnibus fabulis Plautinis, ita in hac quoque (vss. 542. 544) leguntur verba: „numquid vis?“, quae personae scaenam relicturae pronuntiare solent (cf. Hor. sat. 1, 9, 6: Donat. ad Ter. Eun. 2, 3, 50). Saepius autem ea ab iis, qui in

scaena remanent, ita accipiuntur, quasi vero quid velint, interrogati sint: ideoque non semel hanc interrogationem sequitur enuntiatum quod dicitur finale, aut a coniunctione finali „ut“ incipiens aut ea carens: cf. v. 542. 544. Men. 325. Pseud. 660. Truc. 883. Trin. 192. Bacch. 604. Cist. 117. Epid. 512. Pers. 735. al. Vahlenus Herm. 17, 619.

Porro formula salutandi vulgaris occurrit v. 676:

„Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam.“

Nam apud Romanos si quis alteri sive litteris sive verbis salutem dicere volebat, plerumque neque eum qui salute impertiretur, alloquebatur neque de se ipse salutem dante prima persona utebatur, sed tertiam personam ponens et suum ipsius nomen et alterius pronuntiabat: cf. Trin. 435 sq.:

„Erum atque servom plurumum Philto iubet
Salvere Lesbonicum et Stasimum“;

Trin. 1151:

„Charmidem socerum suum
Lusiteles salutat.“

Pseud. 41 sq. Pers. 501. Mil. 900. Ter. Eun. 270 sq. al.

Praeterea poeta ad aliquem hominem omnibus precibus orandum hac formula cotidiana utitur: v. 373: „tuam fidem obsecro“ (cf. Mil. 862. Men. 981. Hubrichius l. s. s. p. 35) et v. 376: „pro fidem, Thebani cives“ (cf. Curc. 694. Epid. 580);
et ad deorum fidem invocandam hac:

v. 455 „di immortales, obsecro vostram fidem“ (cf. Most. 77. 530);

et v. 1130: „di, obsecro vostram fidem“

(cf. Cist. 496. Truc. 805. Truc. 29. Trin. 591. 1070. Poen. 830. 900. Capt. 418. Aul. 692).

Quae omnia, quae et de poetae ratione orationem fabulae liberius atque artificiose conformandi et de iis locis elocutus sum, qui aut toti aut aliqua saltem ex parte ad res vere Romanas revocandi sunt, optime docent, quam sollers et ingeniosus in exemplari Attico transferendo fuerit. Eorum autem versuum qui aut toti aut ex maiore parte ad res Romanas pertinent, origo Graeca multo magis videtur obscurata, quam eorum ubi singula tantummodo vocabula eodem spectantia occurrunt, quoniam sententias generales his expressas ex exemplo Attico petitas esse putare non vetamur. Quas inde fluxisse qua probabili ratione evinci possit, maxime iis locis intellegitur, ubi aut locutiones vocesque, quae cum Graecorum similibus conferri possunt, aut mores institutaque commemorantur, quibus et Romani et Graeci pariter usi sunt. Et ad hanc rem compluribus exemplis comprobandam oratio mea nunc se vertat.

Caput II.

Quomodo origo Graeca probabili aliqua ratione erui possit.

Primo loco de phrasibus vocibusque quibusdam disseram, quas cum Graecorum similibus componere possumus: atque incipiam a nonnullis eiusmodi locutionibus vocibusque ita ambigue positis, ut ioci scurriles oriantur.

V. 325 Mercurio professo sibi vocem ad aures

advolavisse Sosia miserrimum se dicit, quod ei quae ad adversarium volaverit, pennas non detraxerit v. 325 sq.: „Ne ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.“

Pari imagine Plautus saepius utitur:

Rud. 332: „quoia ad auris vox mi advolavit“;
Merc. 864: „nescio quoia ad auris vox mi advolavit.“

Sed similiter iam Aeschylus locutus erat (Prometh. v. 115 Kirchh.):

„*τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής θεόσυτος, ἢ βρότειος ἢ κεκραμένη*“;

aut v. 549:

„*τὸ διαμφίδιον δέ μοι μέλος προσέπτα.*“

Qui cum usus vocis *προσπέτεσθαι* Aeschyli testimonio confirmetur, negare non possumus comicum Graecum similem ac Plautum iocum fingere potuisse: nec vero aliter iudicabimus de v. 333 sq.

Mercurius ante Amphitruonis aedes stans v. 333:

„Hinc enim mihi dext[e]ra vox auris, ut videtur, verberat“

dicit se vocem aliquam audivisse, quae a dextra ad aures pervenisse sibi videatur. Sosia autem vocem „verberare“, quae saepius eodem sensu quo v. 333 posita est (cf. Truc. 113. Aul. 42. Mil. 799. Cic. ep. ad famil. 16, 26. Pison. 26, 63. Tac. Agric. 41 al.) proprie accipiens exponit ipsi, quod vox illum verberaverit, poenas solvendas esse v. 334:

„Metuo vocis ne vice⟨m⟩ hodie hic vapulem, quae hunc verberat“.

Ne Graecis quidem haec imago ignota erat: cf. Hom. Il. 10, 535:

„ἵππων μ᾽ ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει“;

Apoll. Rhod. 2, 555:

„ἤδη δέ σφισι δοῦπος ἀρασσομένων πετράων οὖατ᾽ ἔβαλλε“;

Sophocl. Antig. v. 1187 sq.:

„καί με φθόγγος οἰκείου κακοῦ
βάλλει δι᾽ ὤτων“;

et Philoct. v. 205 sqq.:

„βάλλει, βάλλει μ᾽ ἐτύμα
φθογγά του στίβον κατ᾽ ἀνάγκαν
ἕρποντος“.

Porro v. 366 sq.:

„Ne tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis“

Mercurius Sosiam vituperat, quod se mendaciis oneraverit: sed fore ut brevi eum poeniteat, quod consutis dolis huc venerit. At ille sibi nullius culpae conscius v. 368 se dolos ad illum fallendum consuisse negat, etsi tunicis consutis, de quibus quae supra exposui videas, indutus sit:

„Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis“;

et nunc Mercurius eum mendacii arguit v. 369:

„At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis venis“.

Sine illa vi ambigua voces: „consutis dolis“ iterum Pseudoli v. 540 sq. scriptas legimus (cf. Lorenzius ad hunc v.:

„Aut de compecto faciunt consutis dolis,
qui me argento intervortant“;

et similiter poeta vocem: „sutela“ posuit; (Capt. 692. Cas. 95 sq.) dicitque Terentius (Phorm. v. 491 sq.): „metuo lenonem, ne quid . . . . suo suat capiti“.

Apud scriptores Graecos eodem sensu saepissime „ῥάπτειν“ positum videmus; cf. Hom. Odyss. 3, 118; 16, 423; Il. 18, 367: „κακὰ ῥάπτειν“;

Odyss. 16, 421: „θάνατον μόρον τε ῥάπτειν“;

Eur. Iph. Taur. 681: „μόρον ῥάπτειν“;

Eur. Andr. 836; Herod. 9, 17; Hom. Od. 16, 379: „φόνον ῥάπτειν“;

Oppian. Halieut. 3, 84: „δολοῤῥαφής“;

Ctes. ap. Photium: „δολοῤῥαφέω“;

Alex. (III, 422 Mein.): „ῥάπτουσι δὲ πᾶσιν ἐπιβουλάς“.

Deinceps cum Amphitruo iratus uxorem se viri, id est coniugis nomine compellare vetuerit v. 813:

„Vir ego tuos sim? ne me appella, falsa, falso nomine“,

Sosia accipiens eum se virum esse omnino negasse, haec verba v. 814 in iocum vertit:

„haeret haec res, si quidem haec iam mulier factast ex viro“.

Similiter ludentem comicus Graecus servum facere potuit, cum vox. „ἀνὴρ“ eandem vim duplicem habeat „vir“ et „coniunx“. De voce ἀνὴρ=coniunx cf. Herod. 1, 146; Hom. Il. 19, 291; Od. 2, 223; Eur. Med. 286; Soph. Trach. 551; Lys. 14, 28 al.

Postremo haec Mercurii verba afferam (v. 1000 sq.):

„inde optume aspellam virum
De supero, quom huc accesserit: faciam ut sit madidus sobrius“.

Plautus hic voci: „madidus“ ambiguam vim

tribuit: quae plerumque de ebriis dicitur: (cf. Pseud. 1297: „madide madere“: Most. 319. 330 sq.: „madere“) ideoque hic vox: „sobrius“ adiuncta est.

Quomodo autem Mercurius Amphitruonem madidum reddere velit, fragmento 4 discimus:

„Ne tu postules unam tibi aquam infundi in caput“;

qua de consuetudine spurca cf. Demosth. in Conon. § 4: „*ἔτυπτον καὶ τὰς ἀμίδας κατεσκεδάννυον καὶ προσεούρουν*“. Mercurius igitur iam v. 1000 sq. iocose indicat se postea Amphitruonis in caput matulam infusurum esse, ut vestes eius antea siccae madefiant. Ut autem Romani vocem: „madidus“, ita Graeci interdum ambigue posuerunt vocem: „*βρέχω*“, quae plerumque valet: „conspergere“ vel „madefacere“; aliquotiens autem participia: „*βρεχθεὶς*“ vel: „*βεβρεγμένος*“ significant: „ebrius“; cf. Eurip. Electr. 326:

„*μέθῃ δὲ βρεχθεὶς τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις ἐνθρώσκει*“;

Eubul. comic. (III, 263 Mein.): „*Σίκων ἐγώ βεβρεγμένος ἥκω καὶ κεκωθωνισμένος*“.

Ambiguos igitur ac scurriles iocos quosdam cum a lingua Graeca non abhorreant, etiam comicum Graecum excogitare potuisse quoniam demonstrare studui, nunc nonnullas alias locutiones vocesque Graecorum phrasibus dictisque quibusdam similes afferam.

Atque exordiar ab his vocibus quae leguntur v. 232 sq.: „boat [1]) caelum“. Similiter canit et Homerus (Il. 14, 394):

[1]) cf. Pac. tr. 223: „clamore et sonitu colles resonantes bount“. Ovid. art. amat. 3,450: „Redde meum! toto voce boante foro“.

„*οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον*“;

idemque Il. 17, 264: „*ἀμφὶ δέ τ᾽ ἄκραι ἠιόνες βοόωσιν*“;

et Aeschylus (Sept. 64):

„*βοᾷ γὰρ κῦμα χερσαῖον στρατοῦ*“;

et Aristophanes (Vesp. 921):

„*τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ βοᾷ*“;

nec multo aliter scribit Hesiodus (Theog. 42):

„*ἠχεῖ δὲ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου*“.

Deinceps legimus v. 276:

„Ita statim stant signa“;

quibuscum verbis componam haec Platonis comici (II, 659 Mein.):

„*Ὥστ᾽ εἴ τις ὀρχοῖτ᾽ εἰ θέαμ᾽ ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν·*
ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται“.

Et paulo post (v. 278) occurrunt haec:

„Optumo optume optumam operam das, datam pulcre locas“.

Phrasi: „operam locare“, quae eadem aut paululum mutata et apud Plautum et alios poetas scriptoresque Latinos redit [1]), similia sunt, quae Plato dicit Leg. IV, 717 B: „*ἐπιμελείας δανεισθείσας*“: idemque medii formam „*δανείζομαι*“ similiter translate ponit Polit. 10, 612 C.:

[1]) cf. Trin. 843: „operam meam locare“;
Pers. 228: „male operam locas“;
Sti. 472: „opera locata est“;
Enn. tr. 429: „benefacta male locata male facta arbitror“;
Liv. 7, 20, 5: „beneficia apud gratos locare“.

„ἆρ᾽ οὖν ἀποδώσετέ μοι ἃ ἐδανείσασθε ἐν τῷ λόγῳ“;

Illud autem adverbium „pulcre“, quod v. 278 cum verbo temporali „locas“ coniunctum videmus, a Plauto saepissime additum est ad verba temporalia: Cas. 509; Men. 462; Epid. 472; Pers. 580. 587. 608; Mil. 404. 537. 780. 1312; Merc. 485. 583; Poen. 457. 578; Rud. 1366; Curc. 214; Truc. 415; Trin. 138; Most. 54; Bacch. 793. 797; et minus saepe ad adiectiva vel participia:

Amph. v. 681: „quom te pulcre plenam aspicio, gaudeo“;

Epid. 624: „signum pictum pulcre“;

Pers. 554: „pulcre munitum“;

Curc. 585: „miles pulcre centuriatus“;

Merc. 904: „aedes pulcre exaedificatas“;

Rud. 908: „pulcre ornatus“; similiter dicit Truc. 29: „belle purpurissatae“.

Eundem loquendi usum etiam Cicero, Catullus, Ovidius, Horatius, alii adamarunt. Sed Graecorum quoque comici adverbium „καλῶς“ frequentissime cum verbis temporalibus copulaverunt; neque non adiunxerunt idem ad adiectiva:

cf. Theopomp. (II. 806, 3sq. Mein.):

„Εὐριπίδου τ᾽ ἄριστον οὐ κακῶς ἔχον
τἀλλότρια δειπνεῖν τὸν καλῶς εὐδαίμονα“;

Menand. (IV, 111, 6):

„οἴκοι ἔχειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον
ἢ μηκέτ᾽ εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα“;

aut ad participia:

Philem. (IV, 22): „ἀνδριάντος καλῶς πεπλασμένου“;

Mnesimarch. (III, 578): „φασιανὸς ἀποτετιλμένος καλῶς“;

Archipp. (III, 724): „πρόφασις καλῶς εὑρημένη“;

Menand. (IV, 262): „τοὺς τεθραμμένους καλῶς“.

Venio nunc ad Amphitr. v. 317, ubi Sosia colaphos a Mercurio denuntiatos pertimescens exclamat:

„Illic homo me interpolabit meumque os finget denuo“.

De voce: „interpolare“ Nonius (p. 34, 2) haec dicit: „Interpolare est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant“: similiter poeta iocatur Pseud. v. 781:

„cras mihi potandus fructus est fullonius.“

De „toga praetexta quotannis interpolata“ loquitur Cicero (ad Quint. fratr. II, 10, (12), 3) et de opere lepidissimo, quod nova pictura non interpoletur, Plautus Most. v. 262. Nec vero aliter Graeci vocem: „κνάπτειν“ vel „γνάπτειν“ translate posuerunt, cuius vis propria est: „lanam carere“ vel „artem fulloniam exercere“. Cf. Cratinus (II 212, (116) Mein.):

„Τῇ μάστιγι κνάψειν εὖ μάλα ἢ συμπατῆσαι“;

ad quem locum Meinekius annotat: „Metaphora ab opere fullonio petita est.“ Similiter dicit Plato Polit. X, 616 A:

„τὸν δὲ Ἀρδιαῖον εἷλκον παρὰ τὴν ὁδὸν ἐπ᾽ ἀσπαλάθων κνάπτοντες“;

et Sophocles (Aiac. v. 1031) de Hectore:

„ἐκνάπτετ᾽ αἰὲν, ἔστ᾽ ἀπέψυξεν βίον“.

Porro nonnulla de voce: „deciens“ annotabo, quae occurrit v. 577: „equidem deciens dixi: domi ego sum“; et v. 725: „ego, inquam, si vis deciens dicere.“

Saepe poeta ut numerum quendam significet, quem accuratius definire non vult, adverbium numerale „deciens“ (cf. Sti. 501. Aul. 70. Mil. 855. Cist. 231; similiter Catull. 23, 20) vel numerum cardinalem: „decem“ (cf. Sti. 426. Truc. 373. 490. 913. Capt. 494. Epid. 298. Merc. 345. 694. Mil. 743. 755. Most. 238. Bacch. 128. 818. 832; similiter Horat. Epist. 1, 18, 25) vel distributivum „deni“ posuit (cf. Most. 358. Aul. fr. 3).

Similis et vocis *δεκάκις* usus apud poetas et scriptores Graecos legitur.

Cf. Aristophont. (III, 362 Mein.):

„ἐπεὶ παράθες αὐτοῖσιν ἰχθῦς ἢ κρέας,
κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους,
ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις“;

Homer. Il. 9, 379:

„οὐδ' εἴ μοι δεκάκις τε καὶ εἰκοσάκις τόσα δοίη“;

Anthol. Palat. 5, 118;

Xenoph. Cyrop. 5, 5, 9:

„ἐγὼ μὲν γὰρ δοκῶ δεκάκις ἂν κατὰ τῆς γῆς καταδῦναι ἥδιον“;

et vocis „*δέκα*“: cf. Aeschyl. Pers. 427:

„οὐδ' ἂν εἰ δέκ' ἤματα στοιχηγοροίην“;

Hom. Il. 2, 372:

„τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν“;

Eupol. (II, 458 Mein.):

„ὥσπερ ἀγαθοὶ δρομῆς·
ἐκ δέκα πόδων ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας“;

quae phrasis iterum occurrit et apud Themistium (or. 27, p. 339c) et apud Isidorum (Pelus. Epist. IV, 205).

Cui Amphitruonis loco adiungam haec Sosiae verba (v. 707): „Inritabis crabrones“, quibuscum

quae Aristophanes Vesp. v. 403 sq. affirmat, comparari possunt:

„εἰπέ μοι τί μέλλομεν κινεῖν ἐκείνην τὴν χολήν,
ἥνπερ ἡνίκ' ἄν τις ἡμῶν ὀργίσῃ τὴν σφηκιάν.“

Cf. etiam v. 223 sq.:

„ἀλλ' ὦ πονηρέ, τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ,
τὸ τῶν γερόντων, ἔσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ.“

Similiter a Graecorum usu loquendi non recedunt voces: „somnium narrat tibi“ (v. 738), quibuscum haec vocabula quasi proverbii locum obtinentia: „*ὄναρ λέγεις ἢ γρῖφον*“ Apostol. 12 apte contulit Joh. Schneiderus („de proverbiis Plautinis Terentianisque“ diss. inaug. Berol. 1878 p. 27).

Pariter illi formulae tritae: „vae capiti tuo“, qua aliquis et servo (Amph. 741. Mil. 326. Rud. 375) et alii homini (Curc. 314. Most. 1003. Men. 501) poenam minitatur, hae voces Graecae respondent, quibus aliquis alicuius in caput exsecratur: „*εἰς κεφαλήν*“ vel.: „*σοὶ εἰς κεφαλήν*“ (cf. Aristoph. Pac. v. 1063. Plut. v. 526. Plat. Euthyd. 283E).

Postremo loquar de v. 1033:

„Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas.“

Nam cum phrasi: „verba funditare“, quae iterum occurrit Poen. v. 273, componere possumus locutiones quasdam simillimas Graecas. Atque apud Menandrum legimus (mon. 710. IV, 360):

„ῥίψας λόγον τις οὐκ ἀναιρεῖται;“

aut apud Polybium (4, 20, 5):

„ῥίψας λόγον οὐδαμῶς ἁρμόζοντα αὐτῷ“;

et similiter dicit Aeschylus (Agam. v. 1000 sq.):

„προφθάσασα καρδία γλῶσσαν
ἂν τάδ' ἐξέχει“;

aut Sophocles (fr. 668): „*πολλὴν γλῶσσαν ἐκχεῖν*“; aut Aristophanes (Thesm. v. 554):

„*ὅσα γὰρ ᾔδεις, ἐξέχεας ἅπαντα*“.

Copiosius igitur de iis versibus locutus, quibus locutiones vocesque Graecorum phrasibus dictisque quibusdam non dissimiles occurrunt, nunc transeo ad disputandum de iis locis, ubi tales mores institutaque et ad res privatas et ad publicas pertinentia commemorantur, qualibus cum Romani tum Graeci pariter usi sunt.

V. 501 Juppiter Alcumenae, cum Amphitruonis forma indutus in eo sit, ut discedat, haec imperat:

„verum quod erit natum tollito.“

Romae patres familias potestatem habebant liberos suos exponendi (cf. Marquardtius: „Das Privatleben der Römer“ I² p. 3; Beckerus-Goellius „Gallus“ II, 64): ideoque non raro apud scriptores Latinos leguntur voces: „suscipere“ aut „tollere puerum“ (cf. Gronov. lect. Plaut. p. 14 sq.); atque apud Plautum ipsum: „tollere aliquem“ Cist. prol. 182. 184. v. 373. 453. Truc. 399 et „sustollere aliquem“ Cist. arg. 5. v. 125 sq. prol. v. 165. v. 375: similiter dicit Terentius (Andr. v. 219):

„quidquid peperisset, decreverunt tollere“;

et v. 776 sq.: „nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam
Provolvam atque ibidem pervolvam in luto;“

et v. 401: „nam pollicitus sum suscepturum“ scil. puerum.

Puellae expositionis mentio fit Cas. prol. 41 sqq.

Verum etiam Athenis[1]) ille usus, quem nulla lex coërcuisset, pervagatus erat: itaque non est mirum, quod permulti comoediae Graecae poetae saepissime eas fabulas composuerunt, quibus quomodo liberi quondam expositi multis annis intermissis a parentibus recognoscerentur, narratum est (cf. Meinekius ad Menand. p. 172).

At Thebani liberos exponere lege vetiti erant Aeliano teste (Var. Hist. II, 7): „*ὅτι οὐκ ἔξεστι ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, οὐδ᾽ εἰς ἐρημίαν αὐτὸ ῥῖψαι θάνατον αὐτοῦ καταψηφισάμενος· ἀλλ᾽ ἐὰν ᾖ πένης εἰς τὰ ἔσχατα ὁ τοῦ παιδὸς πατήρ, εἴτε ἄῤῥεν τοῦτο εἴτε θῆλύ ἐστιν, ἐπὶ τὰς ἀρχὰς κομίζειν ἐξ ὠδίνων τῶν μητρῴων σὺν τοῖς σπαργάνοις αὐτό· αἱ δὲ παραλαβοῦσαι ἀποδίδονται τὸ βρέφος τῷ τιμὴν ἐλαχίστην δόντι· ῥήτρα δὲ πρὸς αὐτὸν καὶ ὁμολογία γένεται, ἦ μὴ τρέφειν τὸ βρέφος καὶ αὐξηθὲν ἔχειν δοῦλον ἢ δούλην, θρεπτήρια αὐτοῦ τὴν ὑπηρεσίαν λαμβάνοντα.*“ Quae cum ita essent, ne hoc quidem, ut opinor, Thebis accidit, ut civis Thebanus, praesertim si summa auctoritate et dignitate florebat, alicui imperaret, ut quidquid natum esset, tolleret. Atqui in Amphitruone fabula res Thebis gestae exponuntur. Ergo nobis haec optio datur, utrum Plautum morem Romanum respicientem haec verba (v. 501) de suo addidisse censeamus an iam comicum Atticum, quem ille secutus sit, de usu Attico cogitantem hac lege Thebana neglecta similem sententiam expressisse putemus. Quae opinio videtur verisimilior, quoniam

[1]) cf. Beckerus-Goellius. Charicl. I, 303; II, 22; III, 12. *Ἀναιροῦνται* liberi expositi: cf. Aristoph. Nub. 530; Hermogen. *περὶ εὑρεσ*: I, 30 al.

hic moris a Graecorum consuetudinibus non abhorrentis mentio fit.

Eadem causa adductus etiam sententiam v. 681 effictam ad exemplar Graecum referre audeo. Amphitruo quoniam uxorem gravidam vidit, de prole futura summa laetitia affectus eam sic alloquitur:

„Et quom [te] gravidam et quom te pulcre plenam aspicio, gaudeo.“

Similiter Diniarchus ad Phronesium dicit (Truc. v. 834 sq.):

„Primumdum quom tu's aucta liberis,
Quomque bene provenisti salva, gaudeo“:

et Stratophanes miles (v. 516 sq.):

„Quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis,
Gratulor, quom mihi tibique magnum peperisti decus.“

Praeterea de pretio liberorum procreationi constituto cf. Mil. 703 sq.:

„At illa laus est, magno in genere et in divitiis maxumis
Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.“

Graecos quidem liberos ex uxoribus genitos habere noluisse Menander non semel memorat cf. IV, 117 Mein.:

„Ἢ δεῖ μόνον
ζῆν ἢ γενόμενον πατέρα παίδων ἀποθανεῖν·
οὕτω τὸ μετὰ ταῦτ' ἔστι τοῦ βίου πικρόν“;

IV, 196, 2:

„Οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα ἀπαίδων ἦν ἄρα·
λύπη, φόβος, φροντίς, πέρας ἐστὶν οὐδὲ ἕν“;

IV, 261 (110):

„Οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἀθλιώτερον πατρός,
πλὴν ἕτερος ἂν ᾖ πλειόνων παίδων πατήρ“;

IV, 260 (103):

„Τὸ γυναῖκ' ἔχειν εἶναί τε παίδων, Παρμένων,
πατέρα μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.“

Cf. etiam Periplecomeni oratio Mil. v. 719 sqq.

Verum tamen haec dicta Plautina, quae supra attuli, etiam ad res Graecas spectare possunt, quamquam Ladewigius (über den Kanon des Volcac. Sedig. p. 4 sq.) haec negavit, quoniam Romani nihil flagrantius optavissent, quam ut liberis, inprimisque filiis, augerentur.

Namque idem Menander aliquem haec dicentem facit (IV, 164, 7 sqq.):

„γυνὴ πολυτελής ἐστ' ὀχληρόν, οὐδ' ἐᾷ
ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βούλετ'· ἀλλ' ἔνεστί τι
ἀγαθὸν ἀπ' αὐτῆς παῖδες.“

Eodemque sensu accipienda sunt haec eiusdem verba (IV, 260 (105)):

„Τὸ γαμεῖν ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ,
κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν.“

Ac profecto plerumque Graeci matrimonia inierunt „ἐπ' ἀρότῳ παίδων γνησίων“, qua de formula cf. Menand. IV. 275 (185); Lucian. Tim. 17; Meinekius Menand. p. 135: vide etiam Capt. v. 889:

„liberorum quaerundorum causa ei credo uxor data est.“

Et praecipue liberos sibi esse cupiverunt, ut ipsis mortuis ab iis ἐναγίσματα νεκρῶν tribuerentur (cf. Plat. Symp. 208 E). Ne autem post mortem illo honore carerent, ii qui ipsi liberos non videbantur

relicturi, alios adoptabant (cf. Isaeus de Apollod. hered. § 30: cf. etiam Plaut. Asin. 16 sq.; Mil. 703 sq.; Ter. Haut. v. 1030).

Videmus igitur nullam causam esse cur negemus sententias illis duobus locis effictas, de quibus adhuc locutus sum, iam comicum Graecum excogitare potuisse: idemque vero iudicandum est de aliis quibusdam, quibus quae narrantur, per se ipsa et Romanorum et Graecorum ad rationes privatas pariter pertinere possunt. Neque haec docere nequeunt v. 669 sqq., quibus Sosia ut primum Alcumenam praegnatem aspexit, non ignorans sibi post partum aquam ex puteo petendam esse, de hoc labore difficillimo vehementissime hoc modo conqueritur:

„Ad aquam praebendam commodum adveni domum,
670. Decumo post mense, ut rationem te ductare intellego.“
671. „Scin quam bono animo sim? si situlam [iam] cepero,
Numquam edepol tu mihi divini [quicquam] creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.“

De hoc more liberos partu editos lavandi Eugraphius ad Terentii Andriam (v. 483):

„Nunc primum fac ista ut lavet,“ haec annotat: „et puerum et puerperam post partum statim aqua tepenti perfundi placet physicis;“ cf. Amph. v. 1102:

„postquam peperit, pueros lavere iussit nos“; Trucul. v. 902:

„Puerperae opus est cibus, opust matri veste, quae puerum lavit.“

Similiter apud Graecos liberi post partum in aqua tepida cum oleo commixta lavabantur: cf. Suidas s. v. *χύτλα*; de lavandi consuetudine cf. etiam Callimachus (hymn. in Iov. vs. 15 sqq.):

„ἔνθα σ᾽ ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ᾽ ἐνὶ χρῶτα λοέσσαι“;

et Pausanias (8, 41, 2) de flumine quod vocabatur *Λύμαξ* narrans: *„γενέσθαι δὲ τοὔνομά φασι τῷ ποταμῷ καθαρσίων τῶν Ῥέας ἕνεκα· ὡς γὰρ δὴ τεκοῦσαν τὸν Δία ἐκάθηραν ἐπὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ Νύμφαι.“*

Quam aquam ne ex puteo alto sumere cogatur, Sosia timet (l. s. s.). De puteo servi Plautini saepius loquuntur (cf. Mil. 551. 1150; Rud. 436. 460; Cas. 882; Poen. 1152) et aliae personae: cf. Most. 380. 769; Aul. 365; Rud. 136. Putei alti etiam ab aliis poetis Latinis saepius afferuntur (cf. Hor. ep. 1, 15, 15; 2, 3, 459 al.). Verum in Graecia quoque putei erant altissimi, ut in eum aquam petitum descendere facile non esset (cf. Plat. Lach. 193 C: *„καὶ ὅσοι ἂν ἐθέλωσιν εἰς φρέαρ καταβαίνοντες καὶ κολυμβῶντες καρτερεῖν ἐν τούτῳ τῷ ἔργῳ“*; Protag. 349 E: *„Οἶσθα οὖν τίνες εἰς τὰ φρέατα κολυμβῶσι θαῤῥαλέως; Ἔγωγε, ὅτι οἱ κολυμβηταί“*, quod vocabulum Hesychius sic explicat: *„τοὺς ἐκ τῶν φρεάτων ἀναπέμποντας τοὺς κάδους.“* Saepius situla ad restim quae dicitur *ἱμονία* vel *ἱμητήριον* alligata in puteum demissa est: cf. Alexis (III, 465 v. 9 Mein.); Apollodorus Gelous (IV, 438).

Porro afferam vss. 153 sqq.:

„Qui me alter est audacior homo aut qui confidentior,
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
155. Quid faciam, nunc si tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras quasi e promptaria cella depromar ad flagrum,
Nec causam liceat dicere mihi neque in ero quicquam auxili siet
Nec quisquam sit quin me ⟨malo⟩ omnes esse dignum deputent.
159. Ita quasi incudem me miserum homines octo validi caedant:
161. Ita peregre adveniens hospitio puplicitus accipiar.“

Duobus primis versibus Sosia metuit, ne noctu solus ambulans in iuvenum grassantium manus incidat, qui vias partim latrociniis partim rixis cum iis qui obviam eant excitatis infestas reddant. Iuventutem Romanam sic sibi indulsisse, ut grassans civibus obviam euntibus vim inferret, cum aliis scriptorum Romanorum testimoniis tum his Livii verbis (3, 13, 1 sq.) cognoscitur: „Premebat reum (Caesonem) praeter vulgatam invidiam crimen unum, quod M. Volscius Fictor testis exstiterat se haud multo postquam pestilentia in urbe fuerat, *iuventutem grassantem* in Subura incidisse: ibi *rixam* natam esse, fratremque suum maiorem natu . . . . pugno ictum a Caesone cecidisse, semianimem inter manus domum ablatum.“ Cf. Plaut. Sti. 606:

„non tu scis quando afflictentur homines noctu hic in via?“

Sed de eadem re Atticus quoque poeta conqueri potuit: nam profecto hanc iuvenum nobilium ac superbia efflatorum Atheniensium noctu homines ambulantes opprimendi et pessime mulcandi consuetudinem malam optime illustrat Demosthenes (in Conon. § 7 sqq.). Saepenumero autem hominibus sic tractatis etiam vestes raptae sunt: ac iuvenes Corinthios noctu aliena bona hoc modo ereptum exeuntes castigat Diphilus (IV, 389 vs. 12 sqq.):

„οὐκ ἐνδέχεται γὰρ ζῆν ἄνευ κακοῦ τινος
τοῦτον· συνίης; ἀλλ᾽ ἀναγκαίως ἔχει
ἢ λωποδυτεῖν τὰς νύκτας ἢ τοιχωρυχεῖν.“

Quibuscum verbis oratio Lysitelis adulescentis Atheniensis videtur conferenda, qui et aliis rebus a plerisque aequalibus se differre profitetur, et quod „non noctu eat obambulatum neque suum adimat alteri“ (Trin. 315).

Apparet igitur sententiam v. 153 sq. expressam etiam comicum Graecum fingere potuisse: quod ad vs. 155 sqq. attinet, de quibus ad res vere Romanas spectantibus in prima huius commentationis parte saepius verba feci, eos poeta aut omnino ipse aspersit aut in exemplari Attico transferendo adeo mutavit, ut originis Romanae colorem quendam prae se ferrent.

Eandem ad hominum scelestorum consuetudinem homines noctu oppressos vestibus privandi pertinent Amphitr. v. 294:

„Illic homo hoc denuo volt pallium detexere“;

et v. 302 sqq.: „Agite pugni: iam diust quom
ventri victum non datis.
Iam pridem videtur factum, heri quod homines
quattuor
In soporem collocastis *nudos*“ i. e. vestimentis
orbatos.

Λωποδυσίαν in Graecia quoque viguisse vel Diphili l. s. s. intellegitur: Athenis vero civibus aliquamdiu summum metum iniecerat Orestes *λωποδύτης* (cf. Aristoph. Ach. 1166. Av. 1491):

„*γυμνὸς ἦν πληγεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ πάντα τἀπιδέξια.*“

„*Γυμνός*“ autem eundem sensum quem Amph. v. 304: „nudus“ habens iterum legitur apud Alexidem de *λωποδύτῃ* quodam similia narrantem (III, 414 Mein.):

„*τῆς νυκτὸς τοὺς ἀπαντῶντας ποιεῖ γυμνοὺς
ἅπαντας.*“

Deinceps adiungatur v. 341, ubi Mercurius ex Sosia haec quaerit:

„quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu con-
clusum geris?“

Ille igitur fert ignem in cornu conclusum, id est in lanterna e cornu facta (cf. prol. v. 149. 406). Talibus lanternis corneis et Romani (cf. Priap. 32, 14; Plin. N. H. 11, 49; 11, 126; Mart. 14, 61; Lucret. 2, 388: Steinhoffius: „Prolegg. zu Plautus' Amphitruo“ p. II progr. schol. Blankenburg. 1879 p. 7) et Graeci utebantur, apud quos dicebantur *λυχνοῦχοι*. De *λυχνούχῳ* Athenaeus et alibi uberrime loquitur et 15, 699 F eum sic describit: est „*σκεῦός τι ἐν κύκλῳ ἔχων κέρατα, ἔνδον δέ λύχνον ἡμμένον διὰ τῶν κεράτων τὸ φῶς πέμποντα;*“ similiterque Photius

(p. 238, 5): „*Λυχνοῦχον τὸν κεράτινον φανὸν ἀπὸ τοῦ λύχνον ἐν αὐτῷ περιέχεσθαι*“; isque a comicis Graecis saepissime memoratur; cf. Alex. III, 451 Mein.:

„*μετὰ λυχνούχου περιπατεῖν τῆς νυκτός;*“

Alex. III, 426; Menand. IV, 87; IV, 176; Plat. II, 645: Aristoph. II, 1059.

Etiam hoc Graecorum consuetudini respondet, quod v. 341 Volcani nomen scriptum est pro voce: „ignis“ (cf. Rud. 761: „Volcanum adducere; Aul. 359: „Volcano studere“; Men. 327: „apponere ad Volcani violentiam“; Schusterus l. s. s. p. 30; Ostermeyerus l. s. s. p. 48).

Illi enim pariter pro voce: „*πῦρ*“ nomen *Ἡφαίστου* saepius posuerunt (cf. Athen. 6, 270 C; Hom. Il. 2, 426; Arist. Plut. 661; Soph. Antig. 123; 1007; Eur. Iph. Aul. 1602; Lucian. Peregr. 30 al.).

Venio nunc ad v. 319, ubi Sosia, quantocumque timore percussus est, tamen ut facere semper solet, Mercurii verba minacia hoc modo in ludibrium vertit:

„Mirum ni hic me quasi murenam exossare
cogitat.“

Ladewigius (l s. s. p. 5) Plautum ad res vere Romanas alludere putat, quotienscumque muraena et conger, quibus cibis a Romanis nulli magis appetiti sint, afferantur: ac muraena commemoratur:

Pseud. 382: „muraenam exossare“;
Pers. 110: „ut muraena et conger ne calefierent“;
Aul. 399: „muraenam exdorsuare.“

Verum tamen vereor ut ille vir doctissimus recte iudicaverit: nam Graeci quoque qui pisces

libentissime edebant, muraenam cibum delicatum esse censuerunt. Cf. praeter Athenaeum 7, 321 B. C. Anaxandrides comicus cum alias epulas in cena lautissima apponendas tum hos pisces aliaque animalia marina enumerans (III, 185, 45 sqq.):

„κάραβοι ὀπτοί,
τευθίδες ὀπταί, κεστρεὺς ἑφθός,
σηπίαι ἑφθαί, μύραιν᾽ ἑφθή,
κωβιοὶ ἑφθοί, θυννίδες ὀπταί.“ κ. τ. λ.

Ac praecipue muraena Tartesia praedicatur: cf. Aristoph. Ran. 474 sq. Poll. On. 6, 63: „παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκίμουν μύραινα ἐκ πορθμοῦ καὶ μύραινα Ταρτησία. Varr. sat. Men. 403: „περὶ ἐδεσμάτων.“

Etiam alias muraenae mentio fit: ab Aeschylo Choephor. v. 991 sq.: aut ab Antiphane (III, 123, 3 sqq. Mein.): „θρᾶτταν ἢ ψῆττάν τιν᾽ ἢ
μύραιναν ἢ κακόν τί μοι δώσει μέγα
θαλάττιον.“

Contumeliae autem causa a comico anonymo (IV, 657) nescio quis appellatur:

„Ὦ πρόδοτι καὶ παραγωγὲ καὶ μύραινα σύ.“

Praeterea afferam v. 836, ubi et Romanorum et Graecorum cum iudiciis ad fidem muliebrem spectantibus consonantia leguntur. Alcumenae enim quoniam se matrimonium non rupisse iure iurando affirmavit, sibi non esse credendum ratus Amphitruo exclamat:

„Mulier es: audacter iuras.“

Ex scriptoribus Romanis praeter Plautum, qui similiter dicit Mil. 456: „muliebri fecit fide“, Catullus (70, 3), Tibullus (I, 4, 21), Propertius (II, 28, 6), Ovidius (Amor III, 3) de fide muliebri

contemptim loquuntur. Apud Graecos autem imprimis comoediae mediae et novae poetae feminarum cum alia vitia castigaverunt tum iis omnem omnino fidem abiudicaverunt. Cf. Alexis (III, 450 vs. 8 sqq. Mein.):

„αὗται δ᾽ἀδικοῦσαι καὶ προσεγκαλοῦσ᾽.
ὧν οὐκ ἐχρῆν ἄρχουσιν, ὧν δ᾽ἄρχειν ἐχρῆν
ἀμελοῦσιν, ἐπιορκοῦσιν“;

Antiphanes (III, 151):

„Ἐγὼ γυναικὶ δ᾽ἕν τι πιστεύω μόνον·
ἐὰν ἀποθάνῃ, μὴ βιώσεσθαι πάλιν·
τὰ δ᾽ἄλλ᾽ ἀπιστῶ πάνθ᾽ ἕως ἂν ἀποθάνῃ“;

Menander monost. 560 (IV, 355):

„Ὡς ἔστ᾽ ἄπιστος ἡ γυναικεία φύσις“;

monost. 161 (IV, 344):

„Ἐν γὰρ γυναιξὶ πίστιν οὐκ ἔνεστ᾽ ἰδεῖν“;

monost. 633 (IV, 358):

„Τρισάθλιος γυναικὶ πιστεύων ἀνήρ“;

Xenarchus (III, 620):

„Ὅρκον δ᾽ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω“.

Porro memorabo v. 727, ubi persuasio quaedam et a Romanis et a Graecis pariter recepta tangitur. Nam Sosia de era quam insanam esse putat, sic iudicat:

„Atra bili percitast.“

Bilem nigram esse dementiae causam putabant veteres, cuius opinionis apud utrumque populum vulgatae Ussingius (p. 305) complura exempla attulit. Equidem haec adiungam, Graecos voci „μελαγχολᾶν“ pariter saepius tribuisse vim: „μαίνεσθαι“; cf. Plat. Phaedr. 268 E; Luc. Tim. 8 al.

Postremo v. 1043 sq.:

„Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
qui pervorse perturbavit familiae mentem meae“

afferam, ubi poeta opinionem quandam ad res privatas pertinentem respexit, quae similiter apud utrumque populum vagata erat.

Amphitruo enim summa ira incensus auctorem omnium rerum domi gestarum, quas ipse perspicere non potuerit, nominat veneficum e Thessalia oriundum, cuius incolas veneficiorum et cantationum omnium fuisse peritissimos veteres sibi persuaserant. Ac venefici Thessali artes magicas colentes imprimis pocula amatoria coquere posse dicebantur (cf. Horat. od. 1, 27, 2, qui universe loquitur de portentis Thessalis (epist. 2, 2, 209). Maxime autem inclutae erant sagae Thessalae, quae cum multa alia veneficiis suis efficere tum lunam de caelo detrahere posse putabantur (cf. Hor. epod. 5, 45; Aristoph. Nub. 749; Plat. Gorg. 513 A. al.): ac fabulam quae *Θετταλὴ* inscribitur, Menander composuit, qua quid contineretur, Plinius (H. N. 30, 2) narravit.

Quoniam igitur de iis locis disserui, quibus quae commemorantur, per se ipsa et ad Romanorum et ad Graecorum vitam privatam pertinere possunt, nunc agam de iis, ubi talia afferuntur, qualia utriusque populi in vita publica in usu erant: atque incipiam a rebus ad religionem spectantibus.

Alcumena a coniuge discessura, cum nullius sibi culpae conscia sit, comitibus ab eo datis sibi opus esse negat, quia Pudicitiam deam secum ducat: v. 930: „comitem mihi Pudicitiam duxero.“

Romae Pudicitiae et patriciae (Liv. 10, 23, 5) et

plebeiae (Liv. 10, 23, 7; Fest. 242 b, 31) honores divini tribuebantur: verum etiam a Graecis et *Αἰδὼς* et *Ἀναίδεια* deae colebantur (cf. Paus. I, 17, 1; Prellerus Myth. Graec. I³ p. 434; Schusterus l. s. s. p. 53).

Porro commemorabo v. 422, ubi Amphitruonis anuli signum sic describitur: „cum quadrigis Sol exoriens.“ Solis dei opus cotidianum esse equos albos quattuor ad currum iunctos regere et Romani et Graeci putabant. Exempli gratia haec Ionis solem exorientem salutantis verba afferam (Eur. Ion. v. 82 sq.):

„*ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων·*
ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν.“ *κ. τ. λ.*

Solis dei etiam Amphitr. v. 282:

„Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe“

mentio fit (cf. Mil. 803; Bacch. 255. 895; Epid. 604; Merc. prol. 39 (Goe.).

Quibus locis ut de Sole deo, ita v. 273 sqq. de stellis nonnullis agitur (cf. Kesebergius l. s. s. p. 31; Hubrichius l. s. s. p. 47).

Sosia de nocte longa miratus quoniam v. 272, de quo quae in capite primo exposui videas, Nocturnum deum ebrium obdormivisse iocose conclusit, hanc opinionem his argumentis confirmare studet v. 273 sqq.:

„Nam neque se septentriones quoquam in caelo commovent,
Neque se luna quoquam mutat atque uti exortast semel,
Nec iugulae neque vesperugo neque vergiliae occidunt.

Ita statim stant signa neque nox quoquam concedit die."

Cum hoc loco Schusterus (l. s. s. p. 10 sq.) aptissime hos versus Euripideos comparat, quibus cum aliae tum eaedem stellae enumerantur (Ion. vss. 1147 sqq.):

„*Οὐρανὸς ἀθροίζων ἄστρ' ἐν αἰθέρος κύκλῳ·*
ἵππους μὲν ἤλαυν' εἰς τελευταίαν φλόγα
Ἥλιος, ἐφέλκων λαμπρὸν Ἑσπέρου φάος,
μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς
ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ·
Πλειὰς μὲν ᾔει μεσοπόρου δι' αἰθέρος,
ὅ τε ξιφήρης Ὠρίων, ὕπερθε δὲ
Ἄρκτος στρέφουσ' οὐραῖα χρυσήρει πόλῳ." *κ. τ. λ.*

Ac stella quae apud Euripidem dicitur *Ἕσπερος* (v. 1149), eadem est ac Vesperugo (v. 275), de qua Varro apud Augustinum (de civ. dei XXI, 8) affirmat haec: „stella Veneris nobilissima quam Plautus *vesperuginem*, Homerus Hesperon appellat"; idemque similiter de ling. Lat. VII, 3; VI, 2.

Porro respondet *Πλειὰς* vel *Πλειάδες* apud Euripidem (1152) Vergiliis (v. 275): de quibus quarum ortu Festo teste ver finitur, cf. Cic. poet. de natur. deor. II, 44, 112; Prellerus Myth. Rom² p. 291).

Quartum sidus, *Ὠρίων* (v. 1153), non diversum est a iugulis (v. 275), quarum stellis tribus Orionis iugulum compositum est (cf. Varro de l. Lat. VII, 3). *Ἄρκτος* (v. 1154) denique a Romanis nulla alia stella dicebatur nisi septentriones (v. 273), de quibus Cicero (de nat. deor. II, 41, 105) haec tradit: „Hunc" — scil. polum — „circum *ἄρκτοι* duae feruntur, numquam occidentes.

‚Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
altera dicitur esse Helice';

cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus:

„quas nostri *septem* soliti vocitare *Triones*."

Idemque nomen etiam ursae minori inditum est (cf. Heynius ad Verg. Georg. III, 381; Cic. l. s. s. II, 43, 111): „Minorem autem Septemtrionem Cepheus passis palmis a tergo subsequitur:

„Namque ipsum ad tergum Cynosurae vertitur Arcti."

Postremo ut apud Euripidem *Νύκτα* (v. 1150), ita apud Plautum Noctem deam praeter stellas commemorari non tacebo (v. 276): eandemque alloquitur v. 277 sq.:

„Perge, nox, ut occepisti: gere patri morem meo:
Optumo optume optumam operam das, datam pulcre locas";

et v. 548 sq.:

„Atque quanto, nox, fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat faciam."

Venio nunc ad haec Sosiae eram, quam somniasse censet, alloquentis verba (v. 739 sq.):

„Sed, mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie aut ture conprecatam oportuit."

Qui locus, de quo iam supra propter verba: „salsa mola" (v. 740) locutus sum, docet quomodo poeta vocibus quibusdam, quae ad res vere Romanas spectant, adiectis sententiam quae per se ipsa ex exemplo Attico sumpta esse potest, ad popularium

ingenia accommodaverit. Neque enim si illam solam respicimus, ulla alia sollertiae Plautinae vestigia in his versibus insunt, quoniam dei cuiusdam cultus Romanis cum Graecis communis et ritus quidam religiosus commemorantur, qui utriusque populi in usum receptus est. Atque Alcumena a Sosia v. 739 Iovi prodigiali sacrificare iubetur (cf. Hubrichius l. s. s. p. 11): idemque deus in titulis Latinis saepius Iuppiter Depulsor dictus est. Verum etiam Graeci Iovi similia cognomina indiderunt; ac Plutarchus (adv. Stoic. 33) nominat *Δία ἀλεξίκακον;* similiter Lucianus *Δία ἀποτρόπαιον* (Alex. 4): fortasse etiam hoc nomen: *Ζεὺς τεράστιος*, quod apud eundem bis (Tim. 41; deor. dial. 20, 11) legitur, huc referendum est.

Quod autem ad illum ritum religiosum attinet, saepius Romani noctu somniis vexati postero die precationem et sacrificia fecerunt, ut dei quaecumque prodigia in somniis visa essent, a se averruncarent (cf. Tibull. I, 5, 13; III, 4, 7; Plaut. Mil. 394; Curc. 270 sqq.; Schusterus l. s. s. p. 60). Nec vero aliter Graeci se gerebant, quotienscumque in somnis aliquod prodigium portentum erat, cuius rei testis est Aeschylus (Pers. 201 sqq.):

„*ἐπεὶ δ' ἀνέστην καὶ χεροῖν καλλιῤῥόου*
ἔψαυσα πηγῆς, σὺν θυηπόλῳ χερὶ
βωμὸν προσέστην, ἀποτρόποισι δαίμοσιν
θέλουσα θῦσαι πέλανον, ὧν τέλη τάδε.“

Et maxime talibus ominibus infaustis acceptis, ut Persii vocibus (2, 16) utar, „*noctem flumine* purgabant“ cf. Aristoph. Ran. 1339 sq; Apoll. Rhod. 4, 660; Philo de sacrific. 848 C. al.

Similiter v. 775 sq.:

„Quaeso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri?“

caerimoniae cuiusdam mentio fit, quae non solum apud Romanos usitata fuit, quamquam vox: „circumferre“ est Romanorum verbum pontificale ac positum, quotienscumque eorum lustrationes sollemnes narrantur: de qua quae in prima parte disserui, videas.

Ergo ut omittam de illo artis vocabulo, quod ad sententiam attinet, ritus quidam commemoratur, qui ne Graecis quidem ignotus fuit. Illi enim pariter homines expiandi causa eos circumire solebant res ad lustrandum idoneas circumferentes: cf. Plato Cratyl. 405 A. B: „*Πρῶτον μὲν γὰρ ἡ κάθαρσις καὶ οἱ καθαρμοὶ καὶ κατὰ τὴν ἰατρικὴν καὶ κατὰ τὴν μαντικὴν καὶ αἱ τοῖς μαντικοῖς περιθειώσεις τε καὶ αἱ περιῤῥάνσεις πάντα ἕν τι ταῦτα δύναιντ' ἂν καθαρὸν παρέχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν.*“ Imprimis huc quadrant ea vocabula Graeca, quibus praeposita est vox: „*περὶ*“ (cf. Casaubonus et Ussingius ad Theophr. Char. 16 extr.): nam in iis haec vis inest: „in circuitu purgare aliquem aut aliquid.“ Cf. Menander (IV, 101, v. 5 sqq. Mein.):

„*περιμαξάτωσαν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ*
καὶ περιθεωσάτωσαν ἀπὸ κρουνῶν τριῶν
ὕδατι περίῤῥαν' ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς.“

Similia vocabula sunt *περιθύεσθαι*, *περικαθαίρεσθαι* (Plat. Crit. 120 A; Theophr. Char. 16 extr.); *περιῤῥαίνεσθαι* (Aristoph. Lysistr. 1130); „*περιαγνίζειν*“ (Lucian. Necyomant. 7).

Nec vero magis a Graecorum rebus divinis abhorrentia leguntur iis duobus locis, ubi quae Alcumena parturiens domi fecerit, Bromia narrat:

v. 1061: „nam ubi parturit, deos sibi invocat“; et v. 1091 sq.:

„Postquam parturire hodie uxor occepit tua,
Ubi utero exorti dolores, ut solent puerperae,
Invocat deos inmortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto.“

Quae quidem exeunte v. 1094: „capite operto“ occurrunt, minus cum moribus Graecis consonare ea, etiam haec iam supra exposui: neque autem cetera ea sunt, ut a Graecorum ritibus religiosis plane aliena sint. Nam mulieres Graecae pariter ac Romanae, quae plerumque Iunonem Lucinam implorabant, ubi pariendi tempus appropinquavit, deas quasdam invocabant: atque ab Ilithyiis, Iunone (cf. Prellerus Myth. Graec.[1] I, 113), Diana, Venere, Minerva (cf. Prellerus l. s. s. I, 133) petebant, ut sibi auxilio essent. Scilicet apud utrumque populum necesse erat homines deis supplicantes et ipsos puros esse et vasa pura ad res divinas usurpare (Amph. 946. 1126. Capt. 860 sq. Aul. 270). Cf. etiam Cicero de leg. 2, 10, 24: „Caste iubet lex adire ad deos animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intellegi;“ similiter dicit Megadorus senex in Aularia Plautina (v. 579):

„eo lavatum, ut sacruficem.“ Quin etiam verbenae quibus sacrificantes utebantur, ex loco puro decerpendae erant (cf. Donat. ad Ter. Andr. 4, 3, 11; Hor. od. 4, 11, 6 sq.). Apud Graecos similia

quae Pollux (Onom. I, 25) diserte praecipit, a scriptoribus et poetis Graecis saepissime commemorantur; cf. Hesiod. op. 335 sq.:

„κάδ δύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ἁγνῶς καὶ καθαρῶς“;

Aeschyl. Suppl. 626 sq:

„τοιγάρτοι καθαροῖσι βωμοῖς θεοὺς ἀρέσονται“;

Lys. 6, 51: „τῶνδε θεῶν οὓς ἡμεῖς θεοὺς νομίζομεν καὶ θεραπεύοντες καὶ ἁγνεύοντες προσευχόμεθα“;

Theophr. Char. 16 init.: „ὁ δεισιδαίμων οὗτός τις οἷος ἐπὶ χοῶν που ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας καὶ περιῤῥανάμενος ἀπὸ ἱεροῦ δάφνην εἰς τὸ στόμα λαβὼν οὕτω τὴν ἡμέραν περιπατεῖν.“

Pariter iudicandum est de v. 690 sq., ubi auspiciorum Alcumena coniugem quem se paulo ante reliquisse putat, interrogante mentio fit:

„An te auspicium commoratumst an tempestas continet,
qui non ab⟨i⟩isti ad legiones, ita ut⟨i⟩ dudum dixeras?“

Hic de proelio instanti non agitur, sed de discessu Amphitruonis ad legiones, quibus summus imperator deest (cf. vs. 504 sq.). Copiae enim quamquam totum bellum Pterela, Teloboarum rege, obtruncato et hostibus victis atque in Thebanorum deditionem acceptis finitum erat, domum nondum dimissae erant. Itaque hic non cogitandum est de Romanorum auspiciis publicis, quae ante bellum incipiendum haberi solebant (cf. v. 196. 657), sed de privatis, quae Romae non minus usitata erant (cf. Valer. Maxim. II, 1, 1): quae auspicia poeta non

semel memoravit (cf. Aul. 447; Asin. 374; Men. 1129; Merc. 274; Epid. 183; Pseud. 762; Pers. 607. 609). Neque ne Graeci quidem in rebus publicis privatisque *τοὺς οἰωνοὺς* respicere solebant. Cf. Schusterus l. s. s. p. 55, qui affert Xenoph. Anab. 6, 1, 23, ubi de *οἰωνῷ* quodam verba fiunt, quem Cyrus minor Ephesi viderat. Proverbium huc quadrans tradit Zenobius (I, 76): „*Ἀμεινόνων οἰωνῶν τυχεῖν.*" Cuius rei complura exempla afferre equidem supersedeo.

Quod igitur adhuc semper demonstrare studui, eos locos, quibus mores institutaque per se ipsa et ad res Romanas et ad Graecas referenda commemorantur, magis originis Graecae quam Romanae vestigia prae se ferre, idem cadit in locum quendam ad res militares pertinentem, ubi quae narrantur neque a Romanorum neque a Graecorum pugnandi ratione valde discrepant. Dico illam particulam longiorem, qua a Sosia pugna cum Telobois facta describitur (vss. 203—261). Quamquam autem iam in prima parte de Romanorum rebus militaribus in hac fabula allatis verba faciens etiam nonnullos versus ad hanc pugnam spectantes enumeravi, quibus res ad illorum animos et ingenia quodammodo accommodatae leguntur (cf. vss. 218. 221. 222. 226. 227. 250. 258 sq.), tamen hoc proelium uberrime enarratum Lorenzius (Pseud. praef. p. 55 adnot. 46) perperam dixit: „ein echt römisches Krieg- und Schlachtengemälde": nec magis Langenus, qui similiter iudicavit (Plautin. Studien p. 92) verum vidit. Rectius Schusterus (l. s. s. p. 10) videtur contendisse pugnae descriptionem totam ex exemplari Graeco

petitam esse. Ac profecto sententiae saltem illis versibus expressae plerumque nihil praebent, quo haec opinio refelli possit. Sed quo quid velim facilius perspiciatur, cum hac narratiuncula illam pugnae descriptionem praeclarissimam conferam, quam apud Euripidem in Heraclidis (vss. 799—866) legimus.

Acie apud Euripidem utrimque instructa Atheniensium imperator cum Eurystheo colloquium instituit, ut illum ad pugnam singularem provocet, vs. 800 sqq.:

„*ἐπεὶ γὰρ ἀλλήλοισιν ὁπλίτην στρατόν*
κατὰ στόμ' ἐκτείνοντες ἀντετάξαμεν,
ἐκβὰς τεθρίππων Ὕλλος ἁρμάτων πόδα
ἔστη μέσοισιν ἐν μεταιχμίοις δορός.
κἄπειτ' ἔλεξεν· ὦ στρατήγ' ὃς Ἀργόθεν
„*ἥκεις, τί τήνδε γαῖαν οὐκ εἰάσαμεν;*" *κ. τ. λ.*

Similiter apud Plautum uterque dux inter se colloquitur de sorte, quae victis contingat, vs. 219 sqq.

„Postquam utrimque exitumst maxuma copia,
Dispertiti viri, dispertiti ordines:
Nos nostras more nostro et modo instruximus
Legiones: item hostes contra legiones suas instruont,
Deinde *utrique imperatores in medium exeunt,*
Extra turbam ordinum colloquuntur simul.
Convenit, victi utri sint eo proelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent."

Apud Plautum ante proelium uterque dux vota faciens a Iove exitum pugnae prosperum sibi expetit (v. 229 sq.); — similiter Pausanias in pugna apud Plataeas commissa Iunonem invocavit (Herod. 9, 61) —; apud Euripidem postquam Eurystheus ignavus, quae Atheniensium dux suaserat, abnuit,

vates ante pugnam sacrificant. Quo facto hic cives hortatur, ut fortiter pugnent (vs. 824 sqq.):

„Ἀθηναίων δ' ἄναξ
στρατῷ παρήγγειλ' οἷα χρὴ τὸν εὐγενῆ·
ὦ ξυμπολῖται, τῇ τε βοσκούσῃ χθονὶ
καὶ τῇ τεκούσῃ νῦν τιν' ἀρκέσαι χρεών“;

pariter Eurystheus a militibus petit, ut memores Argivorum gloriae pristinae dimicent v. 828 sq.:

„ὃ δ' αὖ τότ' Ἄργος μὴ καταισχῦναι θέλειν
καὶ τὰς Μυκήνας συμμάχους ἐλίσσετο.“

Nec vero aliter apud Plautum uterque dux copias ad fortiter resistendum instigat (v. 230): „Imperator utrimque . . . . hortari exercitum.“

Porro et apud Euripidem et apud Plautum classicum canit in pugna:

Heracl. v. 830:	Amph. 227:
„ἐπεὶ δ' ἐσήμην' ὄρθιον Τυρσηνικῇ σάλπιγγι“;	„Postquam id actumst, tubae utrimque canunt.“

Pariter ab utroque poeta et armorum sonitus fragorque illustratur:

Heracl. v. 832:	Amph 232:
„πόσον τιν' αὐχεῖς πάταγον ἀσπίδων βρέμειν“;	„tela frangunt“;

et pugnantium tumultus strepitusque describitur:

Heracl. vs. 838 sqq.:	Amph. v. 228:
„ἦν δὲ δύο κελεύσματα· ὦ τὰς Ἀθήνας, ὦ τῶν Ἀργείων γύην σπείροντες οὐκ ἀρήξετ' αἰσχύνην πόλει“;	„clamorem utrimque efferunt“; v. 232 sq.: „boat caelum fremitu virum.“

Fortitudinem denique militum de loco suo non recedentium uterque similiter praedicat:

Heracl. vs. 836 sqq.:	Amph. vs. 238 sqq.:
„τὸ δεύτερον δὲ ποὺς ἐπαλλαχθεὶς ποδί, ἀνὴρ δ' ἐπ' ἀνδρὶ στὰς ἐκαρτέρει μάχῃ· πολλοὶ δ' ἔπιπτον.“	„Sed fugam in se tamen nemo convortitur Nec recedit loco quin statim rem gerat: Animam omittunt prius quam loco demigrent: Quisque ut steterat, iacet optinetque ordinem.“

Apud utrumque igitur poetam pugnas describentem quoniam sententiae inter se similes leguntur, hanc totam narratiunculam cum Lorenzio dicere non possumus: „ein echt römisches Schlachtengemälde.“ Huc accedit quod v. 243 equites Thebani ab Amphitruone iubentur a parte dextra impetum in hostes facere. Haec optime concinunt et cum Romanorum pugnandi consuetudine et cum Alexandri Magni ratione in proeliis equites a cornu dextro in hostes immittendi. (Cf. Ad. Bauerus: „Die griech. Kriegsaltertümer“ apud Iw. de Muellerum „Handbuch d. klass. Altertümer“ IV$_1$ p. 436; U. de Wilamovitzius: „Eurip. Heracl.“ II p. 242; Fr. Hueffnerus: „de Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae“ diss. inaug. Gotting. 1894 p. 71 sq.)

Praeterea Telobois victis incolae urbis postridie in Thebanorum castra pacem petituri veniunt. Portant autem baculos vittis tam longis circumvolutos, ut ipsorum manus simul velatae sint (v. 257):

„velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suom.“

Hic erat et apud Romanos mos hostium victorum ac supplicantium (cf. Liv. 24, 30, 14; 30, 36; 37, 28;

35, 34; Verg. Aen. 7, 154: 237; 11, 101: Gronov. lection. Plaut. p. 11), et apud Graecos ii qui aliquam rem petitum ad aliquem venerant, in manibus similia *στέμματα* ferebant (cf. Hom. Il. 1, 14 sq. Eur. Andr. 894. Suppl. 36. 470. al. Schusterus l. s. s. p. 10).

Omnes igitur locos de quibus in hoc capite locutus sum, originis Graecae vestigia quaedam prae se ferre probabile est. Restant autem nonnulli, quibus quae narrentur tantummodo ad res vere Graecas pertinere pro certo affirmare possumus. Et ad eos explanandos nunc transibo.

Caput III.

De vestigiis originis Graecae certis.

Amphitruo cum uxorem de opinione demoveri non posse intellexerit, qua se adulterium non commisisse putet, Naucratem cognatum a navi arcessere statuit, quocum ipse una vectus eius sententiam refutare ac diluere possit. Sed illo ubique frustra quaesito brevi redit, quaenam urbis loca perscrutatus sit, sic describens (v. 1009 sqq.):

„Naucratem quem convenire volui, in navi non erat,
Neque domi neque in urbe invenio quemquam qui illum viderit:
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia,
Apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro,

In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras
Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Naucratem.“

Simillime Epidicus simulans se quaeritando fatigatum esse loquitur Epid. vss. 197 sqq.:

„Quem omnem per urbem sum defessus quaerere
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro
Per myropolia et lanienas circumque argentarias.“

Amphitruonis l. s. s. nonnulla nomina Graeca et aedificiorum publicorum quorundam occurrunt, quibus plurimae Graecorum urbes ornatae erant, et earum tabernarum, quae ibidem plerumque fuerunt. Dico „gymnasia“ (v. 1011), quorum complura Athenienses habuerunt[1]), „emporium“ (v. 1012), „palaestram“ (v. 1012) (cf. Bacch. 66. 426. 431), „myropolia“ (v. 1011) (cf. Epid. 199: „myropola“ nominatur Cas. 238).

Perperam autem S. Visseringius (quaest. Plaut. I, p. 98) videtur censuisse ad emporium Romae a. 561 u. c. aedificatum poetam allusisse: idemque putat Epidici loco s. s. abusus, quoniam ibi emporia non commemorentur, Epidicum doctam esse ante Amphitruonem. Sed eius opinio cadit, si hoc statuimus, poetam et Epidici et Amphitruonis vss. commemorata urbis loca iam apud comicum Graecum similiter descripta legisse. Ac profecto *ἐμπόρια*, peregrinarum mercium receptacula, in multis Graecorum

---

[1]) Singularis: „gymnasium“ legitur Bacch. 427. Epid. 198.

urbibus erant, imprimis in maritimis: insignissimum autem fuit: „*τὸ Ἀττικὸν ἐμπόριον*“, cui praeerant „*οἱ ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου δέκα, οἷς δὲ προστέτακται τῶν τ' ἐμπορίων ἐπιμελεῖσθαι καὶ τοῦ σίτου τοῦ καταπλέοντος εἰς τὸ ἀστικὸν ἐμπόριον τὰ δύο μέρη τοὺς ἐμπόρους ἀναγκάζειν εἰς τὸ ἄστυ κομίζειν* (cf. Arist. Athen. pol. cp. 51).“

Praeterea et Amphitruo et Epidicus loquuntur de tonstrinis medicinisque, quas alter adiit, alter se adiisse simulat. Huc autem permulti Graeci conveniebant modo cognita partim narrandi partim ab aliis accipiendi causa: de hac consuetudine in *κουρείοις* ob hanc rem versandi nos certiores fecerunt Demosthenes (in Aristog. I, 52); Theophrastus (Char. 11); Lysia (de inval. § 20); Eupolis (II, 499 Mein.):

„*πόλλ' ἔμαθον ἐν τοῖς κουρείοις*“; al.

Idemque mos vere Graecus occurrit Asinariae vss. 343 sqq., ubi Leonida servus cum Libano conservo communicat, quid in tonstrina de pecunia ob asinos Saureae atriensi afferenda audiverit. Paria de medicinis Aelianus tradit (Var. Hist. 3, 7):

„*θεασάμενός τινας καθεζομένους ἐν ἰατρείῳ ψογεροὺς καὶ κακῶς ἀγορεύειν ἐκ παντὸς τρόπου διψῶντας.*“

Cf. etiam Lys. l. s. s.

Similiter ad exemplar Graecum revocandam esse pro certo affirmo sententiam v. 703 sq. effictam:

„Non tu scis? Bacchae bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet saepius.“

Brixius quidem de Bacchanalibus Romanis cogitari vult (ad Mil. v. 1016). Sed ut equidem opinor, Sosia ad Dionysii mysteria alludens haec ad Amphi-

truonem dicit: „Bacchae furenti, si tibi obviam venerit, melius erit de via decedere: nam illa quae divino quodam instinctu incitata omnes homines occurrentes semel thyrso suo ferire solet, te saepissime caederet, si te sibi dedita opera advorsatum esse intellexisset.“ Quo modo cum ab aliis poetis Graecis tum ab Euripide in Bacchis illae quae Bacchae vocabantur mulieres depictae sunt (cf. Lobeckius Aglaoph. p. 27).

Nec vero minus certa originis Graecae vestigia prae se ferunt v. 429 sq. Sosiam enim proelio cum Telobois facto non interfuisse, sed interea in tabernaculo vinum bibisse, Pseudososiae verbis cognoscimus, qui ut ipsum Sosiam esse ei persuadeat, ei omnia narrat, quae is tum fecit, simulans ipsum haec omnia commisisse (v. 429 sq.):

„Cadus erat vini: inde implevi hirneam.
430. Eam ego, ut *matre fuerat natum*, vini eduxi meri.“

Versum 430 Ussingius (p. 276) falso interpretatus est: „ut ex cado effusum erat vinum aqua non admixta.“ Neque enim cadus vini mater dici potest, cum vinum, ut ita dicam, ipse non pepererit: sed in eum vinum iam aliunde genitum infunditur. Genetricem autem vini, vitem, intellegi iam Lipsius (Ep. quaest. III, 17) afferens Eurip. Alcest. v. 756 sq.:

„*ποτῆρα*
λαβὼν πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ“;

et Gruterus apud Taubmannum de hoc loco Pliniano (14, 1) admonens, quo legimus Cineam Graecum „miratum altitudinem vitium lusisse in austeriorem gustum vini, merito *matrem eius* pendere in tam

alta cruce“ et Taubmannus ipse et Lambinus viderunt. Equidem addam Aeschyl. Pers. 612 sq.:

„ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο
ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε.“

Conferatur etiam Pindarus, qui dicit vinum ἀμπέλου παῖδα (Nem. 9, 51 sq.):

„ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιατὰν
ἀμπέλου παῖδ᾽, ἅς ποθ᾽ ἵπποι κτησάμεναι Χρομίῳ.“

Eandem ad potionem clandestinam Sosia, ut opinor, iterum alludit v. 630 sq.:

„Et memor sum et diligens, ut quae imperes compareant:
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuom.“

Quod si verum est, his verbis neque haec Amphitruonis mirantis repugnant (v. 574):

„Hic homo ebrius est, ut opinor“;

neque haec Sosiae respondentis (v. 575): „Utinam ita essem“; nam iusto iure potest negare se nunc ebrium esse, etsi se ut antea, ita nunc quoque vino oneratum esse cupit. Itaque cum inter se discrepantia non legantur, Ussingius quem Goetzius et Schoellius nuperrime secuti sunt, immerito videtur v. 629—631 seclusisse.[1])

Sosiam in vino nimium esse etiam ex Mercurii verbis apparet, qui cum ille de nocte longa miratus Solem se in cena cibis et vino obruisse scurriliter contenderit (v. 283), v. 284 dicit eum de aliis ex se coniecturam facere:

„Ain vero, verbero? Deos esse tui similis putas?“

---

[1]) Accuratius eorum sententiam redarguere studui in appendice.

Eiusdem mores imitans Mercurius a patre iussus Amphitruonem de aedibus depellere se ebrium esse simulat: quod quo magis perspicuum sit, coronam qua ebrii ornati esse solent, in caput imponere statuit v. 999. 1007. (cf. Pseud. 1287; Men. 453. 465: Aristoph. Plut. 1041. 1048). Quae autem de servorum consuetudine vinum bibendi exposui, ea a moribus servorum Romanorum, qui Plauti aetate fuerunt, abhorruisse dilucide Stichi vss. 446 sqq. cognoscitur, quibus Plautus populares sic alloquitur:

„Atque id ne vos miremini, homines servolos
Potare, amare atque ad cenam condicere,
Licet hoc Athenis nobis.“

Profecto in Graecia servi a dominis vinum accipiebant (cf. Demosth. Lacr. 32; Plut. compos. Aristid. et Cat. 4): ac servi Graeci in vinum proniores cum in aliis comoediis tum in Aristoph. Equitibus (v. 104. 107 sqq.) partes quasdam agunt. Servi Plautini similiter saepissime descripti sunt: cf. Aul. 623; Most. 64. 730. 957; Pers. 187. 261. 364; Poen. 258. 274. 303; Mil. 820 sqq. 833. 834. 836; Cas. 725; Pseud. 139. 183. 221. 1287; Rud. 566; Trin. 1014 sq. 1017 sq.; Epid. 23; Poen. prol. 41; Sti. 425. 694. 705. 758. al.

Eodem Stichi loco s. s. utor ad originem sententiae v. 659 expressae Graecam evincendam, ubi Sosia erum interrogat:

„Quid? Me non rere expectatum amicae venturum meae?“

Servorum de amicis Plautus etiam loquitur Sti. 426. 432. 434. 437. 651. 654. 696. 727. 730. 735. 736. 766; Pers. 33. 166. 426; Poen. 868; de amoribus ser-

vilibus Bacch. 646; Truc. 678; Poen. 867; Sti. 680. 682; Pers. 25. 49. 303; Most. 36. 54; de servi desponsa Mil. 1007 sq.; de nuptiis servilibus Cas. prol. 67 sqq. al.; pariter huc quadrant Pers. 419. 737; Sti. 728.

Postremo v. 984 sqq. afferam, ubi Mercurius vel potius Pseudososia currentem servum imitatur, qui sibi omnes obviam euntes de via decedant, hisce verbis postulat:

„Concedite atque abscedite omnes, de via decedite:
Nec quisquam tam audax fuat homo qui obviam obsistat mihi.
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam servolo in comoediis?“

Similiter minantur Acanthio servus (Merc. 114 sqq.); Pinacium puer (Sti. 285 sqq.); Curculio parasitus (Curc. 280 sqq.): idque servorum esse advocati testantur (Poen. 522 sq.):

„liberos homines per urbem modico magis par est gradu
ire: servile esse duco festinantem currere.“

Cives autem liberi et apud Romanos (cf. Cic. de off. I, 36, 131; Ladewigius l. s. s. p. 16) et apud Graecos (Plat. Charmid. 159B) in viis publicis sedato gradu incedebant. Sed servis currentibus locum dare Romanis numquam in mentem venit: ideoque Terentius Luscium Lanuvinum aemulum vehementer vituperat (Haut. prol. v. 30 sq.) quod:

„nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum: quor insano serviat?“

Itaque servi Romani talia qualia hic Pseudososia, postulare non poterant.

At Athenis ubi omnino maiore licentia fruebantur, servi civibus in plateis de via non decesserunt, sed eos de semita depulsare ausi sunt; cf. Pseudoxenoph. de rep. Ath. I, 10: „καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος.“

Haec fere sunt quae ex Amphitruone fabula de transferendi ratione Plautina colligere potui. Quae exposui, ut breviter comprehendam, videor in capite primo mihi satis ostendisse, quam ingenii sollertiam poeta in vertendo declaraverit partim orationem liberius atque artificiose conformans, partim ad res vere Romanas ita alludens, ut aut interdum originem Graecam paene omnino obscuraverit aut sententiis ex fabula Attica petitis pauca tantummodo vocabula ad Romanorum ingenia et voluntates accommodata posuerit. In altero capite quomodo origo Graeca aliqua probabili ratione erui possit, demonstrare studui afferens et locutiones vocesque Graecorum phrasibus dictisque quibusdam similes et mores institutaque quae per se ipsa ad res cum Romanorum tum Graecorum spectare possunt. In tertio denique capite eos paucos locos attuli, quorum origo Graeca mihi videtur certissima.

APPENDIX.

Equidem vss. 629—631 in textu retinens huius loci difficultates, si quidem re vera de difficultatibus

quibusdam dici potest, hoc modo removeri velim profectus a v. 631, qui ad illam potionem furtivam v. 431 enarratam referendus videatur.

Eodem igitur die, quo cum Telobois pugnatum erat, aut paulo post Amphitruo Sosiam iusserat reversum e navi per famulos alios aliquid efferendum curare (v. 629):

„Sed vide ex navi efferantur quae imperavi *iam* omnia."

Amphitruonem enim haec iam multo ante praecepisse elucet ex voce: „iam" (v. 629). Ac dicit vasa quaedam domum apportanda (cf. Men. 346 sq. 968). Paria Charmides reversus Stasimo mandat (Trin. vss. 1103 sqq.):

„Curre in Piraeum atque unum curriculum face.
Videbis iam illic navem qua advecti sumus;
Iubeto Sagarionem *quae imperaverim,*
Curare ut ecferantur, et tu ito semul."

Et ad haec Amphitruonis verba (v. 629) Sosia respondet (v. 630 sq.): „Et memor sum et diligens, neque etsi tum in tabernaculo vinum gustavi, simul cum hoc imperium mihi tum datum ebibi." Scilicet dominus quid ille tum in tabernaculo fecerit, compertum habet: nam proelio facto nescio an requisiverit, ubi servus quem non vidisset in campo, inter pugnam fuisset. Etiam cum vss. antecedentibus (vss. 627. 628) illi tres versus quos tutaturus sum, optime concinunt: v. 628 quidem Amphitruo Sosiam iubet se sequi in aedes; sed v. 629 consilio suo mutato aliam quandam rem necessariam mandat ei, cum vasa quibus uxorem donari vult, e navi nondum

apportata sint. Huc accedit quod voces: „imperium ebibere" a Plauti dicendi ratione non abhorrent: cf.

Pers. 170: „mandata bibere";

Mil. 883: „postquam adbibere aures meae tuae oram orationis."

Vss. 630 et 631 pronuntiatis Sosia, ut mandata perficiat, de scaena ad portum discedit, Amphitruo solus remanet, et cum Alcumenam ex aedibus exeuntem aspexerit, aliquantum recedit, ut quid ea secum loquatur, observet. Qua quo gaudio de mariti virtute bellica, de qua antea a Pseudoamphitruone audivit, affecta sit, longiore oratione exponente (vss. 633—653) interea Sosia cum famulis aliis et alia vasa et illam cistulam portantibus, in qua patera aurea inclusa esse dicitur, a portu redit. Vss. autem 654—658 Amphitruo secum loquens pronuntiat: nec minus clanculum Sosia ero v. 659 insusurrat:

„Quid? me non rere expectatum amicae venturum meae";

et v. 676 demum Amphitruo laetus uxorem salutat, quae eum iam paulo ante (v. 660) conspicata est.

Quae cum ita sint, Ussingius prave, ni fallor, contendit (p. 286) actus alterius scaenam primam totam prope naves, non ante Amphitruonis aedes agi, imprimis propter eundem v. 631 ab ipso seclusum: sed hanc opinionem esse futilem iis quae modo exposui, fortasse intellegi potest; atque aliquem etsi ipse procul a portu absit, tamen servo imperare posse, ut vasa e navi efferenda curet, docent Trinummi vss. 1103 sqq.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Fragmenti ampli quod Seneca rhetor ex carmine de bello Siculo a Cornelio Severo composito excerpsit (cap. 47 K; fragment. poet. Rom. ed. Baehrens. p. 353 sq.) vss. 4 sqq. sic lego:

    „tunc redeunt animis ingentia consulis acta
    iurataeque manus deprensaque foedera noxae
    patriciumque nefas *exstans:* tunc poena Cethegi
    deiectusque redit votis Catilina nefandis.“

    Traditum est: „est“ pro „exstans“.

2. Lucilianum fragmentum 57 Lachm. (fr. 49 Baehr.) sic restitui velim:

    „nunc nomen *patriamque* ex testibus ipse rogando
    exsculpo. haec dicam.“

    Traditum est: „iamque“ pro „patriamque“.

3. Eiusdem poetae frg. 870 L. (740 Baehr.) sic sanandum esse censeo:

    „clauda una est pedibus cariosis *mensa labansque*“

    Libri habent pro: „clauda“ „plauda“, quod Guietus emendavit, et pro *„mensa labansque“* *„mensu libano“*.

4. Captiv. v. 993 Plautum scripsisse arbitror:

    „Et miser sum et fortunatus, ⟨vos⟩ si vera dicitis.“

    Camerarius vocem „vos“ ante „vera“ in versum inseruerat.

5. Scriptorem earum quae sub Petronii nomine feruntur satirarum Nerone imperatore vixisse etiam capite 31 (Buech.) cognoscitur, ubi convivis Trimalchionis cum multas alias cenae promulsides tum *pruna Syriaca* apposita esse legimus.

VITA.

Natus sum Paulus Eugenius Guilelmus Siewert die XXIV mensis Decembris anni h. s. LXXI Berolini, patre Ernesto, matre Clara e gente Lenhardt, quam mortuam valde lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus per novem annos adii gymnasium regium Fridericum Guilelmum Berolinense, quod tunc Hermanni Kernii auspiciis florebat.

Maturitatis testimonium vere anni h. s. XC assecutus civibus academicis litterarum Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus sum. Per quattuor annos studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Bellermann, Curtius, Delbrück, Deutsch, Diels, Dillmann, Dilthey, Döring, Harnack, Hirschfeld, Huebner, Kaftan, Kékulé. Kirchhoff, Kleinert, Kübler, Lasson, Lenz, Lommatzsch, Paulsen, Rothstein, Runze, Scheffer-Boichhorst, Simmel, de Soden, Spannagel, Sternfeld, Strack, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Weiss, Zeller.

Seminarii regii philologici, quod Vahleno et Kirchhoffio rectoribus floret per quater sex menses sodalis fui ordinarius; praeterea exercitationibus philologicis a Dielesio institutis per sex menses, exercitationibus societatis philologicae ab Huebnero institutis per ter sex menses interfui, denique inde a vere 1890 societatis academicae philologicae Berolinensis sodalis sum.

His viris omnibus quos enumeravi, ago gratias maximas, praecipue vero Vahleno, qui summa cum benignitate usque ad hoc tempus consilio me adiuvit, Huebnero et Kirchhoffio, qui non modo scholis, sed etiam consiliis mea studia auxerunt et sublevaverunt.